XENIVM THEOLOGICVM,

IN QUO

Dilectionis Dei in Sacramento Pœnitentiæ necessitas per Quæstionem Quodlibeticam asserta stabilitur & confirmatur,

ET

RESPONDETUR IIS, QUÆ OPPOSUIT

R.dus Adm. P. MAXIMILIANUS LE DENT

Societatis Jesu S. Theologiæ Professor,

AVCTORE

F. FRANCISCO FARVACQUES

INSULENSI,

Ordinis Erem. S. Augustini S. Theol. Doct. Lovaniensi,

Et in Ducali Abbatia S. Gertrudis Professore.



LOVANII,

Typis Hæred. Bernardini Masij sub viridi Cruce, Anno 1668.

Superiorum Permissu.

REVERENDIS DOMINIS
D.D. PASTORIBUS
Et universis animarum curam gerentibus oblatum
A DILeCTIone XenIUM.

GratIa, CharItas, et paX aDIMpLeatUr. 2.Pet.1. Judæ.2.

Dilectio, pro qua vos oportet animas vestras ponere, seriùs, quàm sibi proposuerat, hoc Xenium vobis consecrat: opportuniùs tamen, quàm speraverat. Dum enim aliquantisper procrastinare cogitur, prodijt sub hujus anni exordium responsio R. Adm. P. Maximiliani Le Dent ad Epist. familiarem Ex. P. M. Christiani Lupi. Et quia nonnulli è vobis verebantur ne illâ responsione quidquam contineretur, quod oblato à Dilectione Xenio officeret, placuit responsionem illam breviter percurrere. Non quidem eo consilio, ut omnes Dilectionis necessariæ gradus & qualitates examinet, sed ut illud unicum, quod totius controversiæ caput est, examinet rectenè statuatur, Dei Dilectio necessaria cum Sacramento Pœnitentiæ? Ea de re ubi inter nos convenerit, junctis studijs & facto velut agmine ad necessariæ Dilectionis gradus & qualitates explicandas nos conferemus.

Sed neque lubet in hac brevi Epistola expatiari, & Parerga hîc tractare, quæ quidem merebantur confutari, sed quia non sunt præsentis instituti, alijs relinquuntur.

Quantum igitur ex præfatione responsionis licet colligere, & ad præsens nostrum institutum pertinet, scopus Authoris est ab objectis sibi Scripturæ, Conciliorum & quorumdam recentiorum testimonijs sese defendere, nullo autem novo argumento sententiam nostram impetere. Quid igitur respondeat, & quâ arte se defendat, vobis, Reverendi Domini, lubet proponere.

Quod ad Scripturam attinet, pro Dilectionis necessitate proposuerat P. M. Lupus hunc locum 1. Joan. 3. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Quo testimonio usus fuerat Joannes A Daventria ad articulum 12. Confess. Aug. & Albertus Pighius contr. 9. ut confutarent doctrinam Lutheranorum negantium Dilectionem priorem esse reconciliatione.

P. Le Dent post multa tandem concludens, respondet Apostolum loqui de Charitate fraterna. Optimè. Sed Charitatem fraternam intellige, quomodò explicat Augustinus Xenij pag. 16. id est, quæ Dilectionem Dei complectitur.

Quid porrò P. Le Dent fraternæ Charitatis nomine intelligit? *Per Dilectionem*, inquit, *seu Charitatem proximi non intelligit hoc loco Apostolus actum positivum amoris amicitiæ erga proximum, sed tantùm* NEGATIONEM ODII, *& cujusvis injuriæ in proximum, ac insuper exhibitionem officiorum &c.*

Sed CONTRA? Quis hoc unquam admiserit? Itane Dilectio proximi, nihil aliud est, quàm odij negatio, & externa Dilectionis forma? Hoc ipsum idem est diligere proximum, quod odio non habere? Quidni etiam hoc ipsum sit Deum diligere & Deum odio non habere? Atque ita non secundum dumtaxàt, sed & primum, maximumque Dilectionis mandatum in negationes evanescet. An non pari jure possit quis dicere, cultum Dei nihil aliud esse quàm negationem blasphemiæ &c. Confessionem divini nominis nihil aliud esse, quàm negationem idololatriæ &c. eleëmosynam, nihil aliud esse, quàm negationem furti &c. Nulla igitur erunt data homini de cultu Dei, de Confessione divini nominis, de eleëmosyna danda, præcepta positiva?

Sed quid attinet rem illam tot verbis explicare? Habetis, REVERENDI DOMINI, in Breviario vestro Feriâ sextâ post Cineres ex S. Hieronymo clarissimam hujus expositionis confutationem. Sic enim legitis ex S. Hieronymo: *Multi Præcepta Dei, imbecillitate suâ, non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt: & dicunt sufficere virtutibus,* NON ODISSE *inimicos: cæterùm* DILIGERE *plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum est ergo, Christum non impossibilia* PRAECIPERE, *sed perfecta* &c.

Neque est, quod Adversarius expositioni suæ Estium suffragari contendat: è diverso enim illam improbat. Verba ejus sunt: *Quidam non diligere fratrem exponunt odisse fratrem, sed nulla necessitas est hujus expositionis: imò, nec utilitas. Constat enim non solùm odiendo, & persequendo, sed &* NON DILIGENDO *& Charitatis officia non exhibendo multos peccare mortaliter.* Ubi expresse dicit peccari non tantùm *odiendo*, & *Charitatis officia non exhibendo*, sed & insuper, *non diligendo*, quæ verba Adversarius negligit perindè ac si dicta non fuissent. Nescio autem quid causæ fuerit, cur verba illa: *Imò nec utilitas*, quæ habentur in nostro exemplari, omiserit, vel suppresserit.

Addit P. Le Dent, quòd si locus hic Apostoli faveret sententiæ nostræ, Estius proculdubio avidissimè arripuisset ex hoc loco sententiæ suæ fulcimentum. Verùm fallitur. Etenim Estius in 4. Dist. 16. § 9. utitur hoc testimonio S. Joannis, ut probet Attritionem ex solo metu gehennæ oriundam, non sufficere in Sacramento Pœnitentiæ. Quomodò ergo dicitur, quòd Estium aperta veritas in contrarium convicerit, & ab hujus loci usu retraxerit?

Alium locum Scripturæ adfert P. M. Lupus ex 1. Cor. 13. ubi Apostolus dicit se sine Charitate nihil esse.

P. Le Dent locum illum de Charitate fraterna iterùm explicat. Sed si ita se res habet, cur de illa dicitur, quod omnia credit, omnia sperat? Gratis tamen

hoc

hoc dissimulando, quid fraternæ Charitatis nomine rursùm intelligat, audiamus. Postquam Apostoli sententiam exposuetat de Charitate fraterna, subjungit: *Charitate autem hoc modo intellectâ planissimus erit sensus: quòd nempe donum linguarum, Prophetia, & reliqua gratia gratis data, quarum occasione erant inter Corinthios orta contentiones, nihil prosint ad salutem, si is qui illas habet* IRA, AUT ODIO ERGA PROXIMUM FLAGRET. Quantum capio, quantum sapio, expositio hujs loci similis est expositioni præcedentis loci, ita ut per Charitatem fraternam non intelligat hoc loco Apostolus actum positivum amoris amicitiæ erga Proximum, sed tantùm negationem iræ vel odij erga Proximum.

Sed CONTRA. Cui hoc unquam persuadebitur? Quid enim? Eò spectare credemus magnifica illa, quę commemorat Apostolus, Charitatis elogia, ut meram negationem iræ, vel odij in proximum commendaret? (Adde, si lubet etiam externa Dilectionis officia.) Hæc sunt Charismata meliora? Hæc est via excellentior? Hæc est illa Charitas, quæ patiens est &c.? Quæ omnia credit, omnia sperat? Hęc est illa Charitas, quæ nunquam excidit? Hæc est illa Fide & Spe major Charitas? An fortè lubet eodem modo philosophari de Fide & Spe, ut credere, non sit nisi discredere, & sperare, non desperare? Adeòque, qui Dei & beatitudinis immemores, neque credunt, neque discredunt, neque sperant, neque desperant, erunt immaculati in via?

Tertio loco P. M. Lupus producit verba S. Petri Epist. 1. c. 3. *Vos nunc similis forma salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.* Qui locus efficax est, si intelligatur de interrogatione, quâ antê Baptismû interrogantur Catechumeni an Deû diligant &c. uti patet ex Xenio p. 15

Quarto loco profert P. M. Lupus verba Christi Joannis 14. *Qui non diligit me sermones meos non servat.* Per quæ verba P. Le Dent videtur inter cætera intelligere *pium affectum & voluntatem Dei Præcepta servandi ex quocumque bono motivo, quæ etiam,* inquit, *quædam Dei Dilectio est.*

Verùm, si liceat ita Scripturam interpretari, quo tandem Scripturę loco probabitur Dei propter se Dilectionem præcipi? Sed de hoc aliàs.

Quinto loco P. M. Lupus utitur his verbis ad Rom. 14. *Omne quod non est ex Fide peccatum est.*

Conqueritur autem P. Le Dent sibi obtrudi sensum verborum Scripturæ à contextu & communi Interpretum consensu alienum, negatque Apost. loqui de *Fide Theologica.* Verùm eodem fundamento dicere poterat Pontificem in ordinatione Subdiaconi similem sensum obtrudere, dum ita loquitur: *Estote ergo tales, qui sacrificijs divinis & Ecclesiæ Dei, hoc est Corpori Christi dignè servire valeatis, in vera &* CATHOLICA *Fide fundati, quoniam, ut ait Apostolus, Omne, quod non est ex Fide peccatum est, schismaticum est, & extra unitatem Ecclesiæ.*

Explicationi verborum Apostoli 2. ad Cor. 7. *Quæ secundùm Deum est tristitia* &c. responsum est in Xenio pag. 21.

Quod attinet ad Concilia, P.M.Lupus scribit,quod sententiæ suæ adstipuletur per Hermannum Archiepiscopum celebrata adversus Lutherum Coloniensis Synodus.

Respondet P. Le Dent Enchiridion Coloniense esse exiguæ Authoritatis, neque Authoritate Concilij Coloniensis, sed ab Hermanno posteà hæretico concinnatum vel saltem evulgatum.

Verùm si tantoperè delectabat Scriptorem illum Enchiridij Coloniensis authoritatem imminuere, Sermonem convertere poterat, in ejusdem secum Societatis Theologum Stephanum Déchamps, aliàs Antonium Ricardum, qui lib.2.cap.2.num.5. illud Enchiridion propugnat, & ijsdem objectionibus fusè respondet.

Quod autem spectat ad Tridentinam Synodum, puto mentem Tridentini abundè explicatam & confirmatam ex hactenùs dictis.

Senonensis verò Synodus, quatenùs timorem gehennæ à Pœnitentia distinguit, nobis quàmplurimùm favet, detestatio enim, quæ ex timore tamquam ultimato & adæquato motivo provenit, ejusdem naturæ est cum timore, & fonte ex quo nascitur.

Atque hęc de Scriptura & Concilijs. Superesset ostendere faventes fuisse sententiæ nostræ Authores, qui ab Ex. P.M.Lupo proferuntur: sed quis erit scribendi finis,si cujuslibet Scriptoris testimonio probando vel improbando oporteat commentarium prolixum attexere? Adversarius novemdecim paginis calamum occupavit, ut manifestissima testimonia aliorsùm traheret? Ingeniosè fateor. (Sed eodem ingenio duce & fortunâ comite posset & ipsum Lupum in concordiam secum trahere.) Oportebitne igitur me novemdecim paginas eidē negotio impendere? Absit, neque temporis, neque chartæ sum tam prodigus.

Quare, REVERENDI DOMINI, ad ipsos fontes vos remitto: latinè scitis, potestis legere & intelligere, neque S. Thomas à Villa-Nova, Franciscus Salesius, Didacus à Stella, alijque ænigmata, vel usque adeò obscura scripserunt, ut Interpretes desideretis. Confidenter in publicis Concionibus, in Catechismis, eorum verba proponite, utpotè, fatentibus Adversarijs, doctrinæ suæ non contraria.

Denique ijs, quæ num.20.& sequentibus adfert, quid respondendum sit habetis Xenij pag. 50. Neque video quid concludi possit ex verbis Durandi, cùm non agat de Attritione cognita. Quare non profertur vel unus Author ante Tridentinum, qui non recurrendo ad ullas consequentias, disertè tradat sententiam nostræ oppositam?

Atque hæc, REVERENDI DOMINI, sufficere existimo, ut Dilectionis necessitatem in Sacramento assertam, sciatis inconcussam permanere, quam Dilectionem dignetur in corda vestra copiosè diffundere illa ipsa, quæ Deus est Charitas.

F.F.F.

CENSU-

CENSURA.

XEnium hoc Theologicum ignem Charitatis quem Salvator venit mittere in terras, frigeſcenti mundo denuò commendans, in publicum mitti poteſt ut plures illo incaleſcant. Datum Lovanij 10. Januarij 1668.

Simon Servatij *S. Theol. Doctor & Librorum Cenſor.*

APPROBATIO.

XEnium Theologicum, in quo R.[dus] Adm. & Exim. P. M. FRANCISCUS FARVACQUES, *Dilectionis Dei in Sacramento Pœnitentiæ necessitatem per Quæstionem Quodlibeticam assertam stabilit & confirmat*, ex commissione R.[di] Adm. P. Guilielmi Bolli Ordinis nostri per Belgium Provincialis, perlegi, & quia Orthodoxæ Fidei, bonisque moribus consentaneum reperi, publico prælo dignum censui. Datum Lovanij ad S. August. hâc 5. Jan. 1668.

F. Athanasius Maigretius *S. Th. Doct. & Professor Lovanij, Ord. Erem. S. August. Studij Theologici Regens.*

FACULTAS

R. Adm. P. Prioris Provincialis Ord. Erem. S. Augustini.

VIsâ Approbatione Eximij P. M. Athanasij Maigretij S. Theol. Doctoris, & Studij Lovaniensis Regentis, nobis nuper attestantis, quod in Xenio Theologico ab Eximio P. M. *Francisco Farvacques* S. Theol. Doct. & Professore composito, nihil contineatur, quod SS. P. Alexandri VII. Decreto nupero contrarietur; permittimus, ut illud typis evulgari possit, salvâ auctoritate eorum quorum interest. Datum Bruxellis 9. Jan. 1668.

F. Guilielmus Bolli *Prior Provincialis.*

XENIUM THEOLOGICUM
IN QUO
Dilectionis Dei in Sacramento Pœnitentiæ necessitas per Quæstionem Quodlibeticam asserta stabilitur & confirmatur.

§. I. *Scopus Scriptionis.*

ADditamenta Theologica, quibus Dilectionis Dei causam propugnare pergimus, placuit non tam Authoris, quàm ipsius Dilectionis nomine, Xenium fieri. Sperat enim illa, quæ omnia sperat, Dilectio, oblato Amoris Xenio, nimis eheu! gelidis hoc servili sæculo mortalium cordibus sese penitiùs insinuare & commendare. Siquidem Xenium non solet dumtaxàt esse Dilectionis munus & Symbolum, verùm etiam illecebra & incitamentum. Amor Amorem parit, & ut apposité quidam: *Marce, ut ameris, ama.* Et eleganter sanctæ Dilectionis Cultor & Vindex S.P. Augustinus: *Nulla est maior ad amorem invitatio, quàm prævenire amando. Et nimis durus est animus, qui Dilectionem, si nolebat impendere, nolit rependere.* Rependatur itaque Dilectioni Dilectio, & hoc divini Amoris Xenium, fiat ejusdem Amoris incitamentum. de Catech. rud. c. 4.

Nullus autem hoc Xenium despiciat, quod quæstionem tractet, quæ visa fuerit *minoris momenti*, prout non nemo scribit in præfatione sui tractatus: existimo enim hanc quæstionem esse reverà maximè momentosam. Quid enim majoris momenti, quàm scire, quæ sit reconciliationis cum Deo obtinendæ idonea & legitima ratio? Quæ ad illam dispositio & præparatio requisita? Quod si teste Ambrosio *caput religionis Charitas est, & qui caput non habet, vitam non habet*, si teste Apostolo *plenitudo legis est Dilectio*, imò teste S. Joanne: *Deus Charitas est:* quis minoris momenti quæstionem dixerit, quæ in examinanda tam laudatæ Charitatis necessitate tota occupatur? Minoris momenti habeantur, quæ de formalitatibus, præcisionibusve objectivis nullo periculo cientur quæstiones: verùm absit, ut illud ipsum dicamus de præsenti quæstione, à cujus veritate pendet valor & efficacia Sacramentorum, legitima reconciliatio pœnitentium, salus animarum, & perennis, beata aut infelix futura, æternitas fidelium.

Porrò, quia à DILeCtIone XenIUM est, calamum sic temperabit

 Dile-

Dilectio, ut expers omni maledicentiæ, & amaritudinis felle, merum suavissimæ Charitatis mel & nectar stillet, utinam & instillet! sectabitur ea, quæ pacis sunt, solicita servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, & excellentiorem viam sic ostendet, ut eos, qui aliam viam inire voluerint, non damnet. Cũ Dilectione Dilectionis peraget negotium. Providebit bona non tãtùm coram Deo, sed etiam coràm hominibus.

Quare nullus à Dilectione expectet, ut è Catholicis Scriptoribus quempiam erroris vel hæresis suo judicio perstringat: nullus mordacem, & ut cum Principe Oratorum loquar, DENTATAM CHARTAM expectet. QUID DENTEM DENTE IUVABIT RODERE? Inquiebat olim Martialis in suis Xenijs, quamvis diverso fortassis sensu. Et Apostolus Paulus ad Galatas quinto. *Quod si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Non amat Charitas risum sardonium.

Sunt quidem Dilectioni dentes arma & sagittæ, quibus confodiat Christianæ fidei & communionis inimicos & conterat dentes eorum in ore ipsorum: nequaquam tamen, ut mordeat ejusdem fidei & communionis domesticos, in uno spiritu & in unum corpus baptizatos, & in uno spiritu potatos. De dentibus Charitatis Cant. 4. legimus: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro omnes gemellis fœtibus.* Quia ut interpretatur Augustinus: *Geminos creaverunt, opera scilicet duorum præceptorum gemina Charitatis,* DILECTIONIS DEI, *&* DILECTIONIS PROXIMI.

Absit proindè, ut pariant scriptum à Dilectione Dei ac Dilectione proximi alienum: absit, ut hoc Xenium, quod pro Dilectione pugnat, Dilectionem lædat; absit, ut Charitatis invitamentum, fiat Charitatis detrimentum. Charitas mater est pacis, & principem pacis pace gaudet colere, nihilque magis in delicijs, aut antiquiùs habet, quàm ut pax Christi exultet in cordibus suorum alumnorum, pax, inquam, illa de qua rursùs Apostolus: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo* JESU.

At, quid attinet ista commemorare, cùm Apostolica Sedes pacis terminum posuerit, quem non transgredientur impunè Catholici? Decreto nimirùm 5. Maij Anni 1667. dato: cujus tenorem propterea lubenter hic subijcimus, ut omnibus obligationis & muneris sui ratio constet, & me tacente, si quæ fortassis objectæ forent à quopiam conviciorum tenebræ, Apostolicæ Sedis ac Judicij splendore dispellantur.

§. II.

§. II.

DECRETVM S.mi D. ALEXANDRI VII.

SAnctissimus D. N. ALEXANDER PAPA VII. cùm acceperit non sine gravi animi mœrore Scholasticos quosdam acriùs, nec absque fidelium scandalo inter se contendere, an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ requirat insuper aliquem actum Dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus alijs, & invicem adversam sententiam censurantibus. Sanctitas sua enixè cupiens pacis vinculum inter fideles servari, omnemque scissuræ fomitem extingui, auditis votis Eminentissimorum & Reverendissimorum DD. Cardinalium adversùs hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, nec non DD. Consultorum & Qualificatorum Sac. Congregationis ejusdem generalis Inquisitionis, hoc præsenti Decreto in virtute sanctæ obedientię & sub pæna excommunicationis latæ sententiæ huic sanctæ Sedi reservatæ, alijsque pœnis ejusdem sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis & singulis fidelibus quocumque gradu ac

dignitate Epiſcopali, & majori, imò & Cardinalitiâ fulgentibus, ut ſi deinceps de materia Attritionis præfatæ ſcribent, vel libros aut ſcripturas edent, vel docebunt vel prædicabunt vel alio quovis modo pœnitentes aut Scholares, cæteroſve erudient, non audeant alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſsitatem aliqualis Dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ conceptâ, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ Dilectionis neceſsitatem, donec ab hac ſancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Statuitque prætereà Decretum hoc, ſeu illius exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe & in acie Campi Floræ affixum omnes ubique exiſtentes arctare, & afficere, ac ſi unicuique perſonaliter fuiſſet intimatum.

Franciſcus Riccardus ſanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis Not.

locus ✠ Sigilli.

CAPUT PRIMUM.

Stabiliuntur argumenta, quibus Dilectionis Dei in Sacramento Pœnitentiæ necessitas per Quæstionem Quodlibeticam è Concilio Tridentino asseritur.

LIcet CHARITAS NON QUAERAT EA, QUAE SUA SUNT, tamen CONGAUDET VERITATI: quare, ut veritati per Quæstionem Quodlibeticam assertæ, congaudeat, ostendamus, quàm inconcussa maneant, quæ è Tridentina Synodo produximus argumenta, quàmque frustrà sint, qui aurea veritatis & Di' ctionis retia suis glossematibus nituntur subterfugere. 1. Cor. 13.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ad Pœnitentiam, quam agi oportet à baptizandis, requiritur, ut DEUM TAMQUAM OMNIS JUSTITIÆ FONTEM DILIGERE INCIPIANT: *ergo illud ipsum requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, cùm in confesso sit, non minorem animi præparationem desiderari in Sacramento Pœnitentiæ, quàm Baptismi.*

ADDITAMENTUM PRIMUM.

ARgumento proposito, quo nihil *clarius* esse testatur Martinus Alphonsus Vivaldus in candelabro aureo num. 7. R. Adm. P. Le Dent, omissâ responsione eorum, qui negant particulam *oportet* in Tridentino designare necessitatem Præcepti, triplex effugium quærit: sed frustrà; non enim subterfugiet vim veritatis tam clarè à Tridentino propositæ. Quare, ut hoc fiat, cuilibet effugio ex ordine viam præcludamus.

§. I. *Præcluditur primum effugium.*

PRimum effugium est, *non satis efficaciter probari, per* DILIGERE *non intelligi à Tridentino amorem concupiscentiæ: præsertim si dicatur Synodus loqui de amore, abstrahendo ab amore amicitiæ, & ab amore concupiscentiæ, seu, qui involvitur in desiderio, posthàc Divinis mandatis obtem-*

temperandi. Addit autem infrà, quod *hac Solutio sine dubio magnam habet probabilitatem.*

Verùm, si non satis efficaciter præcluditur hoc effugium, quid causæ est, quod ijs, quæ sequuntur nihil datum sit responsi?

Disp.6.q. 2.dub.4. PRIMO. Teste Tannero *communis mens & sententia Doctorum est,* quòd Tridentinum non agat de amore concupiscentiæ. Fateatur igitur se communi menti & sententiæ Doctorum resistere.

SECUNDO. Ut argumentatur idem, *constat S.Thomam, cuius vestigia sequi voluit Tridentinum, de hoc amore* (charitatis) *locutum.*

TERTIO. Catechismus Romanus & Concilium Moguntinum, quorum utrumque quædam velut interpretatio Tridentini est, dum agunt de gradibus quibus pervenitur ad reconciliationem cum Deo, Charitatem & Dilectionem benevolentiæ Spei accedere disertissimè docent. Ergo & Tridentinum.

QUARTO. Quid ad argumentum Patris Francisci Suarez qui ex ipso Tridentino sessione 6. Canone 3. probat quod cap. 6. Sermo sit de Dilectione Charitatis?

QUINTO. Scopus Tridentini, prout concedit Author ille, fuit condemnare hæreticorum doctrinam, qui negabant, quod ante reconciliationem posset præcedere aliqua Dei Dilectio, seu Charitas. Ergo ne Tridentinum aberret à scopo, intelligendum erit de Dilectione Dei, seu Charitate.

SEXTO. Hæretici doctrinam Tridentini intellexerunt de amore benevolentiæ, non negantibus, sed illud ipsum Catholicis Judoco Ravensteyn, Stapletono, &c. ultroneè admittentibus. Ergo &c.

SEPTIMO. Hæc verba: *Diligere Deum tamquam omnis Iustitiæ fontem,* nequidquam aliud significant, quàm *diligere Deum, non propter rivos beneficiorum ab ipso Deo tamquam fonte promanantes, sed Deum propter ipsum Deum diligere, & fontem propter ipsum fontem, propriamq́; bonitatem,* prout fusè declaravi probans, quod hoc modo loquendi jugularetur hæresis Philippi Melanchtonis dicentis, quòd *Dilectio non possit adesse, priusquam facta sit reconciliatio, nec possit eum diligere, quem iratum videt & præcipitare velle in gehennam.*

Quia verò nonnulli minùs expendunt, quàm optem, quid sit diligere Deum tamquam omnis Justitiæ fontem, lubet ex Augustino pleniùs illud ipsum explicare.

Pag 51. Augustinus itaque Sermone 35. de verbis Domini cap. 2. quid sit Deum esse fontem Justitiæ ita declarat: FONS JUSTITIAE EST. *Quidquid boni fecisti, indè sumpsisti: & quidquid boni eructasti, indè bibisti. Laudas vas, quia habet indè aliquid, & vituperas fontem?* Quapropter ex

Au-

Augustini sententia Deus dicitur fons Justitiæ, quia est fons, seu causa boni operis.

Simili ferè modo, loquitur in Psalmum 61. ubi multis explicat, quâ ratione Deus sit fons omnis Justitiæ, etiam minimæ justæ & rectæ cogitationis, quâ discernitur justum ab injusto. *Ubi*, inquit, *videbis hoc iustum, quo viso reprehendis iniustum? Undè illud nescio quid quo aspergitur anima tua ex multis partibus in caligine constituta, nescio quid hoc, quod coruscat menti tuæ? Undè hoc iustum? Itanè non habet* FONTEM *suum? A te tibi est, quod iustum est, & tu tibi potes dare Iustitiam? Nemo sibi dat quod non habet. Ergo cùm sis iniustus esse non potes iustus nisi convertendo te ad quamdam* JUSTITIAM MANENTEM: *à qua si recedis iniustus es: ad quam si accedis, iustus es.* Pag 256. 257.

Et infrà: *Respice ergo, transcende* (creaturas) *vade illuc ubi semel locutus est Deus, & ibi invenies* FONTEM JUSTITIAE, *ubi est fons vitæ, quoniam apud te est fons vitæ. Si enim tu de rore exiguo iudicare vis quod iustum est, & quod iniustum est, numquid iniquitas apud Deum, undè ad te* MANAT TAMQUAM DE FONTE JUSTITIA, *in quantum iustum sapis, cùm ex multis partibus iniquè desipias? Habet ergo* FONTEM JUSTITIAE *Deus*, id est justi & boni operis, quale est illa de qua agebatur recta cogitatio, quâ discernitur justum ab injusto. Psal.35. Rom.9.

Quam in rem etiam scribit Macedonio, quod apud gentiles Philosophos *vera pietas, id est verax veri Dei cultus (undè omnia rectè vivendi duci oportet officia) non inveniatur*, quia, ut subjungit, *Authores suæ beatæ vitæ, & quasi conditores esse voluerunt, velut propriis eam viribus appetentes, iamq; retinentes, non ab illo* FONTE VIRTUTUM *petentes, atque sperantes, &c.* Quod enim hìc vocat fontem virtutum, alibi vocat fontem justitiæ. Epist 52. Pag 89.

Habes hinc, quid juxta Augustinum sit Deum esse fontem omnis justitiæ: quid autem sit Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere, juvabit ab eodem Augustino discere. Is itaque de catechizandis rudibus tradit Cathecumenum hâc cohortatione ad Dei amorem excitandum: *Coniungaris bonis, quos inventurus es facilè, si & tu talis fueris: ut simul colatis, &* DILIGATIS DEUM GRATIS, *quia totum præmium nostrum ipse erit, ut in illa æterna vita, bonitate eius & pulchritudine perfruamur. Sed amandus est, non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut* AMATUR *sapientia, & veritas, & sanctitas, &* IUSTITIA, *& Charitas, etsi quid aliud tale dicitur, non quemadmodùm sunt ista in hominibus, sed quemadmodùm sunt in ipso* FONTE *incorruptibilis & incommutabilis sapientiæ*, adde, si lubet, & justitiæ, par enim ratio est. Itaque Cap.26. pag.308.

Augustini sententia est Deum diligi tamquam fontem sapientiæ & justi-

justitiæ &c. quando *gratis diligitur* tamquam fons incorruptibilis sapientiæ & justitiæ,&c. ex quo manat & diffunditur quidquid sapientiæ & justitiæ reperitur in hominibus.

Age nunc & animum refer, ad Tridentinum. Sessione 6.c.6. docet hunc ordinem & progressionem observari in justificatione Adultorum. Primùm *liberè moventur in Deum per fidem*, deindè *Divinæ Iustitiæ timore utiliter concutiuntur*, & insuper, *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*. Clarum est quòd in toto illo progressu, peccatores cœperint participes fieri *Iustitiæ*, quam vocamus, *operum*. Quid igitur tum sequitur? Hoc nimirùm, *Deum* non dumtaxat, tamquam illius, cujus cœperint participes fieri, sed *tamquam omnis*, etiam ulterioris *Iustitiæ fontem diligere incipiunt*.

Vides quòd hâc ratione Tridentinum optimè concludat adversùs hæreticos, Deum (quem peccator *iratum videt*, *& præcipitare velle in gehennam*) posse diligi, quia fons est & causa inchoatæ per Fidem & Spem justitiæ, vel ut cum Augustino loquamur, quia quidquid boni peccator fecit, indè sumpsit, & quidquid boni eructavit, indè bibit, undè ad se manat tamquam de fonte justitia, quâ justus esse cœpit: quia fons est omnium virtutum, & omnis justitia hominum in illo est, tamquam in ipso fonte incorrruptibilis & incommutabilis justitiæ.

Ex quibus omnibus patet, quàm longè recedat à veritatis tramite primum hoc effugium.

Neque verò Adversarium quidquam juvat commentum Philosophicum de *abstractione* ab amore amicitiæ & concupiscentiæ: præterquàm enim, quòd tale glossema merè excogitatum sit ad declinandum vim argumenti, neque ullum habeat in Tridentino fundamentum, insuper pugnat cum ijs, quæ hactenùs dicta sunt toto hoc §. neque unquam hæretici negaverunt amorem concupiscentiæ priorem esse reconciliatione, quandoquidem ex eorum doctrina peccatis accensendus sit.

Porrò, quia P. Le Dent in responsione ad præsens argumentum me inconstantiæ notat & perstringit; non erit abs re alienum, ipsum audire. Quid igitur ille? *Dignum*, inquit, *notatu est*, *quod idem Auctor*, (Quæstionis Quodlibeticæ) *quando aliquid reperit in Tridentino*, *quod sibi favere arbitretur, incunctanter pronuntiet eo loco definiri contra hæreticos, quando constat hos oppositum docuisse: & ex eorum errore contrariam mentem Synodi colligat. Quando verò nostra sententia Authores proferunt definitiones Concilij ijsdem ferè verbis conceptas, quibus* SUOS ERRORES EXPRESSIT LUTHERUS, *& ex eo contendunt id damnari à Synodo, quod*

do-

docuit Lutherus: respondet Tridentinum de mente Lutheri solicitum non fuisse. Vide pag.52.

Vidi Rde. Pater, & accuratè relegi paginam 52. nec tamen inconstantis doctrinæ nomen, aut notam, quam mihi adscribis, vereor. Quamobrem & tu ipse meam relege eamdem paginam, & primùm eperies hanc objectionem exempli causâ propositam: *Tridentinum loquitur eo* SENSU, QUEM CATHOLICIS ATTRIBUIT LUTHERUS, *sed Lutherus attribuit Catholicis, quòd doceant Attritionem naturalem sufficere cum Sacramento.* Ergo &c.

Postmodùm subjungo hæc verba: *Quid ad hæc respondebis? Quid, obsecro, nisi vel Tridentinum de mente Lutheri solicitum non fuisse, vel* (QUOD VERISSIMUM EST) *mentitum fuisse Lutherum, dum ausus est dicere, quòd Catholici doceant Attritionem naturalem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ.*

Advertis, R.de Pater, Lectori sub disiunctione proponi duplex responsum? Et interim perindè mecum agis, atque si solùm primum pronunciassem, cùm tamen postremum responsum verissimum dicam, ac propterea censendus fuerim illud prætulisse.

Verùm nihil necesse est eò confugere, cupio liberaliùs agere, & utrumque responsum, uti legitimum defendere, nec tamen inconstantiæ notam incurrere.

Fateor itaque Tridentinum de mente Lutheri solicitum non fuisse in casu, qui ponitur pag.52. Non enim isthic quæritur, quid senserit Lutherus de proprijs dogmatibus & erroribus, sed quid senserit de dogmatibus Catholicorum, qua in re fateor, & tu ipse, velis nolis, fateri debebis nihil solicitum fuisse Tridentinum, nec debuisse.

DECLARO. Mens & sententia Lutheri est, quod Catholici doceant Sacramenta justificare sine fide, sine meritis Christi &c. Quæro, an Tridentinum solicitum fuerit de hac Lutheri mente, & eam doctrinam approbet, quam Catholicis attribuit Lutherus? Similitèr in casu posito pag. 52. dixeram Lutherum *redarguisse Catholicos, quod docerent Attritionem naturalem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ*, ac proindè fuerat ea Lutheri de Catholicis mens & sententia: in responsione addidi Tridentinum de tali mente & sententia Lutheri non fuisse solicitum, sive quod idem est, non attendisse quid Catholicis affingeret Lutherus, nec approbasse sufficientiam Attritionis naturalis eo sensu, quem Catholicis attribuit Lutherus. Quid isthic mali?

Verbo dicam. Negabam illam objectam propositionem: *Tridentinum loquitur eo sensu, quem Catholicis attribuit Lutherus,* quia de mente

 Lu-

Lutheri circa sensum, quem Catholicis attribuit, nolebam Tridentinum fuisse solicitum.

Undè Adversario propono hoc dilemma: vel Tridentinum in casu posito pag. 52. de mente Lutheri, & sensu, quem attribuit Catholicis solicitum fuit, vel non fuit? Si dixerit solicitum fuisse & sensum, quem Catholicis attribuit Lutherus, probasse, fateatur igitur (quod nunquam facturus est) ex Tridentini sententia Attritionem naturalem sufficere in Sacramento Pœnitentiæ: si negat Tridentinum de mente Lutheri eo sensu, quem attribuit Catholicis solicitum fuisse: ergo jungamus dextras & conveniamus amicè.

At plùs æquo propriæ causæ immoror, ad Dilectionis causam propugnandam revertor.

§. II. *Secundum effugium præcluditur.*

SEcundum effugium debemus Patri Le Dent, qui respondet, *Tridentinum enumerasse varia motiva timoris, spei, amoris, ex quorum singulis concipi potest detestatio peccatorum efficax; tùm subiungere,* AC PROPTEREA; *quod rectè potest sic intelligi; ex horum motivorum aliquo moventur adversùs peccata per odium aliquod; ubi vox* ALIQUOD *importat dari odia diversa.*

Addit deindè particulam *propterea* referri ad omnia præcedentia, & verbis illis, *Hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet,* Tridentinum non tantùm agere de justificatione cum Baptismo, sed etiam cum voto Baptismi per Contritionem se solâ justificantem.

Quapropter, nisi fallor, juxta responsum illud mihi subobscurum, textus Tridentini sub disiunctione intelligendus est, ut sensus sit, quòd particula *propterea* referenda sit ad omnia præcedentia, sub disiunctione hoc modo: *Propterea moventur adversùs peccata, vel ex motivo timoris, vel spei, vel amoris, ex quorum singulis concipi potest detestatio peccatorum efficax,* ita ut sufficiat ex horum motivorum aliquo moveri adversùs peccata per odium aliquod &c.

Sed contrà PRIMO. Si particula *propterea* referenda sit ad omnia præcedentia: ergo etiam referenda erit ad fidem, de qua initio Capitis; atque ita sub disiunctione sufficiet moveri vel ex motivo Fidei, vel timoris, vel Spei, vel amoris, quod falsum est nemo enim hactenùs ausus est docere, quòd solum motivum Fidei sufficiat idoneæ dispositioni cum Sacramento Baptismi vel Pœnitentiæ comparandæ.

SECUNDO. Sensus minùs congruit, si particula *propterea* referatur

ad

ad omnia præcedentia, prout ostendi §. 5. & modus loquendi Tridentini planè contrarium requirit, prout ex simili modo loquendi D. Thomæ & Enchiridij Coloniensis declaravi ibidem, & ampliùs constabit ex dicendis infrà, ubi probabimus, quòd ille qui detestatur peccatum propter gehennam, non tam moveatur adversùs peccatum, quàm adversùs gehennam.

Perperàm proindè quæritur, quo revelante didicerimus particulam *propterea* referendam esse ad solam Dei Dilectionem; non enim opus est aliâ revelatione, quàm accuratâ textus Tridentini Lectione, & consideratione.

TERTIO. Nemo, quod sciam, Tridentinum hactenùs interpretatus est sub disiunctione locutum, nullumque est in Tridentino istius rei vestigium, nulla disiunctionis mentio undè possit quis suspicari sensum illum abstrusum, & hactenùs incognitum contineri verbis Tridentini, maximè in materia doctrinali & tam momentosa.

QUARTO. Tridentinum resistit huic interpretationi, nam utitur particulâ copulativâ: *illumQUE tamquam omnis Iustitiæ &c.* Quod si vellemus opposito glossemati locum dare, debuisset Tridentinum uti particulâ disiunctivâ, dicendo: VEL *illum*. Quod cùm non fecerit, manifestum est non posse sub disiunctione intelligi, & particulæ copulativæ proprietatem retinendam esse.

§. III. *Tertium effugium præcluditur.*

AB Ysamberto mutuantur tertium effugium, pridem tamen à Patre Vasquez Adamantinis Pessulis præclusum. Audiantur tamen. Dicunt igitur in Tridentino *agi de sola Iustificatione, quæ obtinetur sine actuali Sacramenti susceptione.*

Sed huic evasioni obstant quamplurima ex ipso Tridentino petita argumenta.

PRIMO. Ut rectè argumentatur R. P. Vasquez allegatus §. 4. Quæst. Quodl. Agitur hoc loco de pœnitentia, quam agi oportet ANTE BAPTISMUM: ergo non agitur de justificatione separata ab actuali Sacramenti susceptione.

SECUNDO. Loca S. Scripturæ, quæ adfert Tridentinum manifestissimè intelliguntur de dispositionibus ad justificationem cum Sacramento Baptismi percipiendam: ut Actorum 2. *Pœnitentiam agite & BAPTIZETUR unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum & accipietis donum Spiritus sancti* quis non palpet agi de remissione peccatorum cum Baptismo conjuncta?

Item illud Matthæi 28. *Euntes ergo docete omnes gentes*, BAPTIZANTES *eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, quâ similitudine veri ad solam justificationem extrasacramentalem torquebis?

TERTIO. Vti rursùm probat P. Vasquez suprà: quando in Tridentino recensentur causæ justificationis, Baptismus dicitur esse *causa instrumentalis justificationis.* Ergo agitur de justificatione cum Baptismo.

Vim hujus Argumenti facilè, ut sibi quidem videtur, declinat
Pag. 77. P. Le Dent, respondens, *quod Synodus postquàm pronuntiavit ad illam dispositionem consequi ipsam justificationem, incipiat definire, quid sit justificatio, nempe non tantùm remissio peccatorum, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis &c. ac deindè progrediatur hujus, id est jam descriptæ justificationis causas enumerare: cùm autem hujus justificationis causa instrumentalis sæpè sit Baptismus, voluit & hunc recensere, ut causas omnes simul proponeret.*

Verùm quomodò ista cohæreant non intelligo. Si enim juxta hunc Authorem initio Capitis 7. intelligatur justificatio extrasacramentalis, *quæ non est sola peccatorum remissio &c.* quomodò *hujus* (utique ejusdem) *justificationis causa instrumentalis sæpè est Baptismus*? Vultne igitur hic Author dicere, quòd Baptismus sæpè sit causa instrumentalis justificationis extrasacramentalis, id est, quæ fit sine Baptismo? Aut fortè existimat initio Capitis septimi tribus lineis contineri duplicem & diversam justificationem?

Velim itaque Lector maturè in Tridentino expendat particulas: HUJUS JUSTIFICATIONIS. Manifestè enim evincunt sermonem esse de justificatione cujus meminerat initio ejusdem Capitis, ac per consequens initio ejusdem Capitis non fuisse sermonem de justificatione extrasacramentali.

QUARTO. Tridentinum Capite 14. agens de justificatione lapsorum post Baptismum, loquitur de justificatione PER POENITENTIAE SACRAMENTUM: ergo agens de justificatione Catechumenorum loquitur de justificatione per Baptismi Sacramentum.

QUINTO. Non est credibile Tridentinam Synodum omisisse doctrinam de dispositionibus ad justificationem cum Baptismo requisitis, cùm illa sit via ordinaria justificationis: quo igitur in loco juxta Adversarios doctrinam illam tradit, si non Capite 6?

SEXTO. Constat ex Procemio Sessionis 6. Tridentinum agere de justificatione, quam impugnabant Hæretici: atqui cum Hæreticis non fuit controversia de sola justificatione extrasacramentali.

Ergo

Ergo Capite 6. & 7. ubi præcipuè agitur de justificatione, non agitur de sola extrasacramentali.

SEPTIMO. Ibidem Tridentinum dicit, quòd exponere intendat doctrinam *justificationis, quam Sol Justitiæ Christus Iesus Fidei nostræ Authot & Consummator docuit, Apostoli tradiderunt & Catholica Ecclesia Spiritu sancto suggerente perpetuò retinuit.* Atqui tális doctrina non est de sola justificatione extrasacramentali. Ergo &c.

Objiciunt tamen, quòd, si illud, *diligere incipiunt*, intelligatur de alia Dilectione, quàm illa, quæ per se & sine Baptismo justificat, justificatio non consequetur dispositiones allegatas à Tridentino, prout docet initio Capitis 7. nullâ factâ mentione Baptismi reipsâ suscepti.

Respondeo nullâ ratione id sequi: justificatio enim dispositiones consequitur, non tamen sine causis ibidem commemoratis. Hujus enim JUSTIFICATIONIS, *causa instrumentalis est Sacramentum Baptismi*, ac proindè clara fit mentio Baptismi.

Quod autem primis verbis Capitis non statim exprimatur Baptismum esse causam instrumentalem justificationis, quid ad rem attinet? Nec enim ibidem mentio fit causæ finalis, efficientis, meritoriæ, & formalis: an idcircò egit de justificatione à causa finali, efficiente, meritoria & formali separata? Quis Catholicus hoc concedat, imò quis non abominetur? Noli ergo ob eamdem causam dicere Tridentinum necessariò intelligendum de justificatione separata à sua causa instrumentali, scilicet Sacramento Baptismi, nisi velis eam separatam esse à prædictis causis.

Ex dictis hoc Additamento liquêre existimo, quàm nullum sit Adversarijs in hoc triplici effugio positum refugium.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

FIDES, NISI AD EAM SPES ACCEDAT ET CHARITAS, *saltem initialis*, NEQUE UNIT PERFECTE CUM CHRISTO, NEQUE CORPORIS EIUS VIVUM MEMBRUM EFFICIT, *quâ ratione verissimè dicitur, Fidem sine* OPERIBUS *mortuam & otiosam esse & in Christo Iesu, neque Circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per* CHARITATEM *operatur.* Ergo si Attritio destituatur omni motu Charitatis, saltem initialis, neque uniet perfectè hominem cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficiet. Tridem. sess. 6. c. 7.

AR-

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ibidem. FIDES SINE SPE ET CHARITATE VITAM ÆTERNAM PRÆSTARE NON POTEST: ergo nec Attritio servilis.

ADDITAMENTUM II.

SUmma responsionis, quam adhibet Adversarius Argumento secundo & tertio, in eo sita est, quod dicat certissimum esse, allegata verba Tridentini intelligenda de habitibus illarum virtutum, nequaquam autem de actibus.

Verùm ego persisto in priore sententia, & verba prædicta non posse de habitibus intelligi, evidenter ostendo.

§. I. *Probatur allegata verba Tridentini non de habitibus, sed de actibus intelligenda.*

PRIMO oppono, quòd futilis erit consecutio Tridenti si de habitibus intelligatur. Quis enim non videat, quàm inanis sit hæc consequentia: *Verissimè dicitur fidem sine* OPERIBUS *mortuam & otiosam esse, ergo fides nisi ad eam Spes* habitualis *accedat & Charitas* habitualis, *non unit perfectè cum Christo* &c. De operibus sermo præmittitur, & de habitibus concluditur? Quid, quod hæretici docentes solam fidem justificare, negabant, quod actus Spei & Charitatis deberent fidei accedere, prout ostendi ibidem. Quorsùm ergo Tridentinum concluderet de habitibus Spei & Charitatis?

Pag. 15. Pag. 16.

Respondet tamen P. Le Dent Tridentinum sufficientissimè confutasse errorem hæreticorum volentium solam fidem justificare, quia dum addit: QUA RATIONE VERISSIME DICITUR FIDEM SINE OPERIBUS MORTUAM ESSE, *indicat, quod sicuti in ordine ad vitam spiritualem in actu primo est conjunctio necessaria & dependentia inter habitum Fidei & habitus Spei, ac Charitatis: sic quoque conjunctionem & dependentiam necessariam esse inter Fidem actualem & alias operationes, tum in ordine ad tuendam vitam anima tam obtentam, tùm ad amissam recuperandam. Quia nempe Fides actualis, si desint opera, seu observatio mandatorum inutilis est ad vitam aternam, & sola Fides sine alijs operibus, seu actibus nequidem peccatorem ad gratiam, sive vitam disponit.*

Verùm hæc responsio seipsam perimit. Si enim tam necessaria sit conjunctio & dependentia inter Fidem actualem & alias operationes, sicuti est inter habitum Fdei & habitus Spei ac Charitatis: ergo sicuti in ordine ad vitam spiritualem habitui Fidei necessariò accedit habitus Spei

Spei ac Charitatis: ita etiam actui Fidei, in ordine ad amissam animæ vitam recuperandam necessariò accedit actus Spei & Charitatis. Quare hæc responsio recidit in ipsum argumentantem.

Sed & insuper textui Tridentini minimè convenit. Tridentinum enim non reijcit doctrinam hæreticorum volentium solam Fidem justificare ex eo quod habitus ad habitum debeat accedere, sed ex eo, quod *Fides sine operibus* (non ait, habitibus) *mortua sit, & in Christo Iesu neque Circumcisio aliquid valeat, neque præputium sed Fides, quæ per Charitatem operatur.* Illius autem Argumentationis à proportione habitus cum habitu, ad proportionem actus cum actu, ne levissimum quidem dat indicium, neque memini me ullum Catholicum Scriptorem legisse, qui hoc Argumenti genere refellat doctrinam hæreticorum de sola Fide justificante, neque hoc Argumenti genus multùm premeret hæreticos, utpotè, qui vel negarent illam proportionem, vel conjunctionem habitus cum habitu eodem jure negarent, quo negant necessariam conjunctionem actus cum actu in ordine ad justificationem.

Quantò ergo æquius est Tridentini ratiocinationem absque ullis ambagibus sic intelligere: *Verissimè dicitur Fidem sine operibus mortuam & otiosam esse & in Christo Iesu neque Circumcisionem aliquid valere, neque præputium sed Fidem, quæ per Charitatem operatur.* Ergo non sufficit sola Fides, (actualis de qua cum hæreticis erat sermo) sed debent accedere Spes & Charitas actualis.

SECUNDO oppono verba Apostoli ad Galatas 5. *In Christo Iesu, neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per* CHARITATEM *operatur.* Quæ verba adferuntur à Tridentino, & de Charitate actuali debere intelligi quidquid dicat P. Le Dent nullâ adjectâ probatione, firmiter sustineo.

In primis enim vox Græca αγαπη correspondens voci *Charitas* apud Græcos denotat Dilectionem & affectum benevolentiæ & ita passim usurpatur in Scriptura. Joannis 15. v. 13. *Maiorem hâc Dilectionem nemo habet.* Et cap. 17. v. 26. *Dilectio, quâ dilexisti me.* Ad Rom. 12. v. 9. *Dilectio sine simulatione.* Quibus locis græcè legitur αγαπη, neque potest intelligi de habitu Charitatis.

Deindè 1. ad Cor. 13. Apostolus frequenter utitur eâdem voce *Charitas* græcè αγαπη, intelligens actum Charitatis. Rectissimè enim scribit Tannerus, quod *Apostolus loquitur de Charitate considerata quoad actum secundum, ut* SANCTI QUIQUE INTELLEXERUNT, *& constat itidem ex adiecta Antithesi linguarum, quæ vel solùm, vel maximè ad actum secundum pertinet.* Disp. 2. de Spe q. 2. dub. 3. n. 95

Ju-

Jure meritissimo addit Tannerus quod *Sancti quique* Apostolum intellexerint de actu secundo Charitatis: sic enim intellexit Chrysostomus Homilia 30. in 1 ad Corinthios, ubi agens de hoc loco: *praeclaram*, inquit, *hanc* ACTIONEM *laudare aggressus est*, nimirùm Charitatem: Augustinus autem solet ex illo loco probare, neque Martyrium, neque Baptismum prodesse sine affectu Charitatis.

TERTIO oppono, quòd Tridentinum à Catechumenis exigat observationem mandatorum divinorum, & praecipuè illius *Diliges Dominum Deum tuum* &c. quod totum ad actus pertinet.

Neque satisfaciunt dicendo in Rituali Romano etiam requiri Dilectionem proximi, certumque esse ad justificationem in Baptismo non requiri actualem Dilectionem proximi, sed sufficere si quis non oderit.

Siquidem falsum est, quòd ad justificationem in Baptismo percipiendam, sufficiat si quis Proximum non oderit. Constat id ex Augustino, qui libro de Fide & operibus capite 10. multis confutat doctrinam eorum, qui proximi Dilectionem nonnisi post Baptismum praeceptam esse existimant, quamvis ingenuè agnoscerent Dilectionem Dei Baptismo ex necessitate praemittendam esse.

Juvabit eorum sententiam ab ipso Augustino intelligere: *Quid*, in-
Matth 22. v 40. quit, *quòd etiam duo illa Praecepta, in quibus Dominus ait totam Legem, Prophetasque pendere, huic suae opinioni suffragari arbitrantur: & sic ea commemorant, ut quoniam primum Praeceptum dictum est: Diliges Dominum Deum*
Deut. 6. v 5 *tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum tamquam teipsum: primum*
Levit 19. v 18. *pertinere ad baptizandum,* UBI DILECTIO DEI PRAECIPITUR: *Se-*
1 Joan. 4. v 20. *cundum autem ad baptizatos, ubi videntur esse mores conversationis humanae: sic obliti quod scriptum est : Si fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides, quomodò diligere poteris?*

Non inficior tamen, eam Dilectionem proximi sufficere, quae in ipsa Dei Dilectione continetur. Nam juxta Augustinum ibidem, *Ista duo Praecepta ita ex alterutro connexa reperiuntur, ut nec Dilectio Dei possit esse in homine, si non diligit proximum, nec Dilectio proximi, si non diligit Deum.*

Et cap. 13. *Utraque enim mutuo connexa sunt, sicut antè dixi: quia neque Dilectio Dei potest esse in homine, qui non diligit proximum, nec Dilectio proximi in eo, qui non diligit Deum. Ideò aliquando alterum sine altero, sive illud, sive illud, pro plena doctrina invenitur Scriptura commemorare ut etiam hoc modo intelligatur alterum sine altero esse non posse.*

Lubet

Lubet hîc adjicere, quod S. Franciscus Xaverius à baptizandis Dei Dilectionem solitus fuerit requirere. Sic enim scribit Societati Romam. *Primum Praeceptum, quod est de diligendo Deo, ubi pariter decantavimus, ita simul precamur: Iesu Christè Fili Dei vivi, da hoc nobis, ut te prater cetera diligamus: statimq́, ad eam rem, Dominicam adhibemus Orationem. Mox eiusmodi carmen unà omnes canimus.* SANCTA MARIA MATER JESU CHRISTI IMPETRA NOBIS A FILIO TUO, UT PRIMUM EIUS PRAECEPTUM OBSERVEMUS SEDULO. Et infrà: *Postremò ita institutos ritè baptizo.*

§. II. *Respondetur obiectionibus Patris Le Dent.*

OBIECTIO I. Tridentinum *de actibus, qui ad gratiam disponunt, egerat capite proximè pracedente.* Ergo &c.

RESPONDEO non valere consequentiam, certissimum enim est, quòd Tridentinum capite 7. etiam agat de actibus, qui disponunt ad gratiam. Cùm enim assignasset causam finalem, efficientem, meritoriam, instrumentalem, & formalem justificationis, pergit ad explicandas etiam causas justificationi praevias, seu disponentes, his verbis: *Renovamur spiritu mentis nostra, & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes, unusquisque secundùm suam mensuram, quam spiritus partitur singulis prout vult, & secundùm* PROPRIAM CUIUSQUE DISPOSITIONEM *&* COOPERATIONEM. Audis *dispositionem*? Audis *cooperationem*? Quid igitur dubitas sermonem esse de actibus disponentibus, & cooperantibus?

Quare, ea quae statim subjunguntur de Fide, Spe, & Charitate, de actibus necessariò intelligenda sunt, hoc enim planè exigit particula causalis *enim*, quae in Tridentino subnectitur voci *cooperationem*. Quod statim apparebit legenti textum: *Spiritus sanctus partitur singulis* justitiam *prout vult, & secundùm* PROPRIAM CUIUSQUE DISPOSITIONEM *&* COOPERATIONEM. *Quamquam* ENIM *nemo possit esse iustus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur, id tamen in hac impij iustificatione fit, dùm eiusdem sanctissima Passionis merito per Spiritum sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inharet. Vndè in ipsa iustificatione* &c. Pergit deindè Tridentinum ex Jacobi 2. & ad Gal. 5. probare requiri uniuscujusque propriam dispositionem & cooperationem.

Itaque Tridentinum utitur argumento, quo usi sunt posteà etiam Catholici, hoc nimirùm: Fides sine operibus mortua & otiosa est: item, in Christo Jesu, neque Circumcisio aliquid valet, neque praeputium,

tium, sed Fides, quæ per Charitatem operatur: ergo justitia datur secundùm propriam uniuscujusque dispositionem, & cooperationem, scilicet operum & Charitatis.

OBJECTIO II. Tridentinum sanctificationis & renovationis interioris, quæ fit per susceptionem gratiæ & donorum, causam instrumentalem statuit esse Baptismum, hic autem nullos in anima causat actus, sed tantùm gratiam & habitus.

RESPONDEO hanc objectionem nihil ad rem præsentem facere, neque enim contendit argumentum à nobis propositum, quod initio Capitis agatur de actibus, sed post illa verba: *Secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.*

OBJECTIO III. Tridentinum concludit hoc caput mentione stolæ, quam Adam nobis perdidit &c. esse autem stolam loco ejus, quam Adam nobis perdidit &c. non convenit nisi habitibus.

RESPONDEO, neque hoc pertinere ad propositum, haud enim gravatè concedemus in fine Capitis sermonem revolvi ad justitiam habitualem, de qua probabiliter egerat initio Capitis: sed constanter negamus post illa verba, *Secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem*, agi de habitu Charitatis, qui non est dispositio, aut cooperatio ad justificationem & renovationem per Baptismum obtinendam.

ARGUMENTUM QUARTUM.

Trident. sess. 14. c. 1. *Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam fuit necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent*: sed Pœnitentia nunquam est sine actu Charitatis, saltem initialis. Ergo talis actus est necessarius &c.

ADDITAMENTUM. III.

HUius Argumenti secundam propositionem negat P. Le Dent. Reconciliationi enim obtinendæ contendit sufficere, si peccator accipiat gratiam sanctificantem: *neque enim aliter conciliantur infantes: quomodò, quin Deus possit sibi reconciliare Adultum, dubium non est.*

Concedo jam Adversario, quòd Deus possit sibi reconciliare Adultum eo modo quo reconciliantur infantes, hoc est modo quodam mortuo, & absque ulla prævia dispositione & præparatione propria: verùm, si quis hoc de facto contingere asseruerit, propriam in Triden-

dentino reperiet condemnationem: requirit enim in Adulto propriam cujusque dispositionem. Sess.6. c.7.

Quapropter dico responsum illud à proposito prorsùs esse alienum; argumentum enim agit de reconciliatione affectuum, quæ reconciliatio longè aliter fit, quàm in infantibus, ubi nulla Pœnitentia, nulla læsæ amicitiæ retractatio requiritur.

Quod autem Pœnitentia Adulti reconciliandi necessariò proveniat ex aliquo benevolo in Deum affectu, ulteriùs ostenditur.

PRIMO. *Nunquam inimicus* RECONCILIATUR, *nisi priùs* DILIGAT *eum, quem priùs odio persequebatur: nunquam ingratus agnoscet beneficium in se collatum, nisi priùs malè affectum animum à se exuat, id est inimicus, & ingratus non iustificantur nisi Charitate & gratiâ intervenientibus. Ideò tradunt* (Catholici contra Lutheranos) *non sufficere ad peccati remissionem, si tantùm timeat & peccatorum remissionem speret, sed quòd oporteat eum ex toto corde dolere & converti ad Deum, ita ut non tantùm* TIMEAT, *sed* DILIGAT *Deum.* Hæc Joannes à Daventria contra Lutheranos negantes Dilectionem Dei priorem esse reconciliatione. Ad art.12.

SECUNDO. Utor Argumento, quo Alphonsus Virvesius probat adversùs Melanchtonem, quòd ad justificationem non sufficiat sola Fides, sed insuper requiratur Charitas. *Iustificatio,* inquit, *& reconciliatio sunt idem: & reconciliatio non potest fieri sine Dilectione. Ergo nec iustificatio. Maior nota est. Minorem probo à* Diffinitione *ad* Diffinitum. *Est enim reconciliatio mutua Dilectionis restitutio, ut conciliari cuiquam, est illum mutuò diligere. Nunc rursùs colligo: iustificatio non potest esse sine Dilectione: & Dilectio & Charitas sunt idem: non ergo potest esse sine Charitate.* Hic discursus ex natura reconciliationis petitus apertissimè probat intentum, & à me propositam in Quæstione Quodlibetica argumentationem illustrat, falsumque esse declarat, quòd in hac materia non rectè arguatur ab hominibus ad Deum. Ad art.6.

TERTIO. Quoniam authoritati Magistri, Gratiani, D. Thomæ, Durandi, Capreoli &c. ex Cano propositæ nihil quidem responsum est, profero integrum Melchioris Cani discursum, non tam ejus, quàm Scriptorum quos in medium profert authoritati & rationibus inhærens. Statuit autem hanc primam Conclusionem:

PRIMUS ACTUS POENITENTIAE NUNQUAM EST SINE ACTU CHARITATIS. Verba ejus sunt.

„Hic sit prima propositio, Primus actus Pœnitentiæ nunquam est „sine actu Charitatis. Magist. d. 15. capite 4. idem, Gratia, de pœ. „d.3.cap.ult.& cap.fugerat,& dist.2 cap.Charitas est,& D.Tho.1.2. „q.113. art.4.ad 1.& art.5. & 8.& de veritate, q.28. art.4. Duran.

„d. 17. 4. q. 1. & 4. Capreo. d. 14. q. 2. & Gabri. ea dist. & q. „contra Palud. d. 14. q. 3.

„Primùm probatur hæc conclusio testimonio D. Augu. 14. de „civi. Dei. cap. ultimo, ubi asserit, neminem pertinere ad civitatem „Dei nisi per amorem Dei, usque ad contemptum sui: sed omnem „verè pœnitentem ad Dei civitatem pertinere, nemini dubium est, „ergò. Et lib. de vera & fal. pœniten. cap. 9. pro absurdo habet quod „sine amore Dei quisquam consequatur indulgentiam, sine quo „nullus invenit gratiam. & cap. 17. idem ait, & lib. contra Cres- „con. 2. cap. 12. cùm dixisset: & eleēmosinis & verbo veritatis, & „contritione remitti peccata, subdit, mundantur etiam ipsa, quæ „supereminet omnibus, Charitate, quæ una si adsit, omnia illa rectè „fiunt: si autem desit, illa omnia frustrà fiunt. Prætereà. 1. Joan. 3. „qui non diligit manet in morte.

„Prætereà. Conversio ad Deum requiritur ad habendam gratiam „Dei. Zac. 1. convertimini ad me & ego convertar ad vos. Ezec. 18. „& 33. sed conversio ad Deum non fit nisi per actum Charitatis: „nam, si aliter conversio fiat vana est ad justificationem, cùm in „Christo Iesu sola Fides valeat, quæ per dilectionem operatur ad Ga- „lat. 5. Hoc autem notavit August. de vera & falsa pœnitentia cap. „17. non converti, sed qui habet attritionem & timet Deum judi- „cem, nisi amet justum.

„Prætereà. Salus animæ in conversione ad Deum consistit Hier. 3. „convertimini filij revertentes & sanabo aversiones vestras. Esai. 6. & „convertatur & sanem eum. & 45. convertimini ad me, & salvi eri- „tis: at pœnitentia est medicina salutis.

„Item. Omne agens agit propter finem, anima ergò cùm movet „se, ad finem se movet. At velle efficaciter finem pertinet ad Chari- „tatem. Namque si per Spem solam finem appeterem, nec Spes mor- „tua ad justificationem sufficeret, nec de peccato doleremus, quà ra- „tione offensa Dei est, sed quà malum nostrum est.

„Id tandem modò in Concil. Triden. sess. 6. cap. 6. & 7. DEFINI- „TUM EST. Ac re vera, id D. Dominus, Lucæ 7. insinuasse videtur, „inquiens. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. „Quæ significat dolorem & lachrymas nullas esse, nisi cum Charitate „essent.

Apud Roff. art. 6. QUARTO. Lutherus ita intellexit doctrinam Catholicorum: *Tùm enim*, inquit, „*Pœnitentia vera incipit, quando ex* AMORE *fluit*, SICUT IPSI DICUNT.„

QUINTO. Rursùm urgeo locum Apost. 2. ad Cor. 7. v. 10. *Quæ secun-*

dùm

dùm Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur: Quæ verba juxta Tridentinum Sess. 6. cap. 14. Christiani hominis Pœnitentiam continent.

Respondet quidem P. Le Dent servilem *Attritionem esse tristitiam secundùm Deum.* Verùm non satis est dicere, oportet & probare. Quis sanctorum Patrum? Quis Christianorum Interpretum verba Apostoli sic exposuit? E diverso nos non modò Cornelij à Lapide, verùm etiam Chrysostomi & Cassiani nobis faventem interpretationem protulimus, & addimus Angelici Doctoris, qui in hunc locum scribit, *quòd amor Dei causat tristitiam de peccato, & hæc est tristitia secundùm Deum.* Num. 194.

ARGUMENTUM QUINTUM.

Pœnitentia salutaris debet aliquo modo aversari peccatum, ut est OFFENSA DEI: *sed in odio peccati, ut est Dei offensa intrinsecè & inseparabiliter includitur amor Dei, idq; non concupiscentiæ tantùm, verùm etiam benevolentiæ. Ergo Pœnitentia salutaris intrinsecè & inseparabiliter includit amorem Dei.* Trident. Sess. 14. c. 1.

ADDITAMENTUM IV.

ARgumento proposito respondet P. Le Dent, quòd ille detestetur peccatum, ut est offensa Dei, qui detestatur peccatum, *quia per hoc* DEUM *provocavit ad* IRAM ET INDIGNATIONEM *talem, ut cuius velit eum in æternum damnare.*

Hæc responsio mihi non probatur varias ob causas, quas subjungo.

§. I. *Declaratur, quòd Lutherus, eiusq; discipuli detestationem peccati, ut est offensa Dei, explicent per ordinem ad* IRAM *&* INDIGNATIONEM *divinam.*

DIsplicet allata responsio propterea, quod Luthero, ejusque discipulis placuerit Pœnitentiam & detestationem peccati explicare per ordinem ad iram & indignationem divinam. Sic enim locuti sunt ex quo primam partem Pœnitentiæ terrores conscientiæ incussos statuerunt. Audiantur. Lutherus in cap. 31. Genesis: *Cor autem verè* POENITENS *sic adfectum est, ut nihil aliud nisi* IRAM ET INDIGNATIONEM DEI *formidet, nullâ ratione ignominiæ apud homines habitâ.* Apud Kucko. Pag. 563.

Et in cap. 27. *Sensus vera Pœnitentia talis est, Ah! Cur Deum* OFFENDI? *Cur* IRAM *& Iudicium eius adversùm me concitavi?* Pag. 561

Pag 542. Et in Joelis cap. 2. agens de prima parte Pœnitentiæ, id est terroribus conscientiæ incussis: *Dolor*, inquit, *de quo Spiritus sanctus hîc concionatur, est non affici solùm sensu pœnæ, sed sensu peccati, quod per adulterium Deum* OFFENDERIS; *quod conieceris te in* IRAM ET DAMNATIONEM.

Et in Præfat. vet. Test. *Lex*, inquit, TERROREM *incutit* CONSCIENTIAE, *ut verè sentiat* DEUM OFFENSUM *&* IRATUM, *& se ream* ÆTERNÆ DAMNATIONIS.

Luthero consentit Confessio Augustana Anni 1540. cujus hic est articulus 12. *Constat autem Pœnitentia, hoc est conversio impij, propriè his duabus partibus, altera est Contritio, hoc est terrores incussi conscientiæ agnito peccato, in quibus &* IRAM DEI *agnoscimus &* DOLEMUS *nos peccasse, & peccata* DETESTAMUR *&c.* Idipsum tradit Philippus Melanchton in Apologia pro dicta Confessione Augustana.

Sed & Confessio Wittembergensis per Legatos Ducis Wittembergensis die 24. Januarij anni M. D. LII. Congregationi Concilij Tridentini proposita, *Contritionem*, inquit, *vocamus sensum* DIVINÆ IRÆ, *seu dolorem, aut pavorem animi ex agnitione magnitudinis peccatorum, & gravitatis* IRÆ *Dei ortum.*

§. II. *Communis Theologorum doctrina, quòd detestatio peccati, ut est Dei offensa, læsam spectet amicitiam divinam.*

QUid commune, quid diversum habeat data explicatio Lutheranorum, cum responsione, quam impugnamus, nolo statuere, penes Lectorem sit judicium, cujus oculis subjeci, quod inter legendum observatione dignum existimavi.

Confidenter tamen assero Theologos antiquiores per detestationem peccati, prout est offensa Dei, intellexisse detestationem peccati, quatenùs opponitur nostræ cum Deo amicitiæ, non indignationi, vel iræ divinæ. Produxi hac de re luculentum testimonium Patris Vasquez, qui fatetur præter Alexandrum, neminem Theologorum ab hac veritate dissentire. Produxi Ruardi Tapperi, Alphonsi Vegæ, Mœratij, Becani, Alberti Pighij, imò & ipsius Angelici Doctoris patentissima verba: nec verba tantùm, verùm etiam plerorumque rationes efficaces.

Num. 198. Quid porrò Adversarius? Omnium instar producit Alphonsum Vegam, quem licet reluctantem per gyrum & consequentiam trahere nititur in suam sententiam. Siquidem docet idem Vega sufficere ad justitiam *diligere* DEUM *sic, ut de ipsius offensis doleamus, & mandata*

illius

illius velimus servare. Infert indè, quòd per detestationem peccati prout est offensa Dei intelligat etiam detestationem ex metu gehennæ profluentem, quia, *certissimum est*, inquit, *posse peccatorem ex solo motivo gehennæ detestari peccata præterita & velle servare omnia Dei mandata.*

Verùm quod P. Le Dent certissimum esse confidenter pronuntiat, falsissimum esse reclamaret Vega, nam cap. 32. occurrens hujusmodi Glossemati expressissimis terminis docet, quòd PROPOSITUM SERVANDI MANDATA DIVINA, DILECTIO DEI SUPER OMNIA VIDETUR, AUT CERTE NON ESSE SINE ILLA, cùmque *propositum servandi Mandata divina*, idem sit, quod *velle servare omnia Dei Mandata*, manifestę veritatis est Vegam à Patre Le Dent dissentire, in quantùm Vega Dilectionem Dei requirit, ut sit propositum servandi mandata divina, negat verò P. Le Dent.

ARGUMENTUM SEXTUM.

Ad salutarem Pœnitentiam requiritur vera cordis ad Deum conversio, de qua Ezechielis 18. CONVERTIMINI &c. *atqui vera cordis ad Deum conversio non potest obtineri nisi per amorem benevolentiæ. Ergo.* Trid sess. 14 c 1.

ADDITAMENTUM V.

ADversarius primò retorquet argumentum, pro concesso habens, quod amor benevolentiæ, quo potuerunt converti Judæi, fuerit is, qui per se justificabat. Verùm, quod ille pro concesso reputat, ego constanter nego, putoque distinguendum inter conversionem perfectam & imperfectam.

Secundò respondet dolentem de peccatis ex metu gehennæ cum proposito servandi omnia Dei mandata sufficienter converti ad Deum, mente mutari &c. consequenter ergo verba Ezechielis 18. *Convertimini* &c. in novo Testamento intelligit de conversione per dolorem ex solo metu gehennæ, saltem quando accedit susceptio Sacramenti.

Verùm hæc etiam responsio non satisfacit. PRIMO. Quia explicatio illa verborum Ezechielis nova est, neque puto, quòd Adversarius ullum Catholicum Scriptorem proferet, qui conversionem illam, de qua Ezechiel, hoc sensu intelligat.

Dixi *Catholicum.* Lutherani enim, qui primam partem Pœnitentiæ in terroribus ponunt, fortassis verba Ezechielis eodem modo interpretabuntur, quo interpretantur verba Joelis cap. 2. *Convertimini ad Dominum Deum vestrum.* Quæ verba solent explicare de conversione

ex

ex terroribus incussu conscientiæ. Sic explicat Confessio Augustana ar. 12. *Constat*, inquit, *Pænitentia*, *hoc est* CONVERSIO *impij*, *propriè his duabus partibus: altera est Contritio, hoc est terrores incussi conscientiæ agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus, & dolemus nos peccasse, & peccata detestamur ac fugimus, sicut Ioel concionatur: scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, & CONVERTIMINI *ad Dominum Deum vestrum* &c.

Sup 542. Et ipse Lutherus explicans verba Joelis: *Convertimini ad me, hoc est, nolite mihi obvertere tergum, cùm loquor ad vos, auscultate mihi, idq; ex toto corde vestro, ne aut sit simulata conversio, aut non integra. Vult enim Deus totum cor, non vult* TIMERI, *non vult* CREDI *alium Deum* &c. *Hæc prima pars est Pænitentiæ, quam Propheta tradunt.* Intelligit terrores incussos conscientiæ, ex quibus vult oriri conversionem de qua Joel. cap. 2.

Horum doctrinæ opponens se Petrus à Soto ad illa verba Ezechielis: *Convertimini* &c. *Hic locus*, inquit, *si rectè pensetur, & dolorem & mutationem cordis oppositam peccato, &* CHARITATEM *Dei docet.*

SECUNDO. Quid ad luculentissima D. Bernardi verba dicentis, quòd *nec timor, nec amor privatus* CONVERTIT *animam* .... *Charitas verò* CONVERTIT *animas, quas facit & voluntarias*?

TERTIO. Quin receptam ab Antiquis Scholasticis Authoris de vera, & falsa Pœnitentia sententiam, & velut commune Axioma exponit? Quæ verba relata sunt in Decretum Gratiani *Dist. 7. Can. nullus.*

In quem locum audi, quid scribant jurisconsulti. Bellamera *non solo timore, sed Charitate, quæ talem expellit timorem, vivit homo, id est justificatur.* Idipsum ijsdem verbis affirmat Archidiaconus. Turrecremata verò, *Oportet*, inquit, *ut vera Pœnitentia fructificet, quod facere non potest nisi sit viva vitâ gratiæ &* DILECTIONIS.

QUARTO. Ostendi petitis ex Rusbrochio, & Roderico argumentis, quod in amore concupiscentiæ homo potiùs seipsum habeat pro scopo, quam Deum, ac proindè, quod potiùs convertatur ad seipsum, quam ad Deum: quibus omnibus nihil responsum est.

QUINTO. Sic ulteriùs argumentor. Qui convertitur ad Deum, debet ad Deum faciem & vultum cordis vertere: atqui per Attritionem servilem homo non vertit faciem & vultum cordis ad Deum, sed magis in pœnas. Undè D. Thomas quæst. 28. art. 4. ad 3. admittit, quod per *timorem homo non movetur in Deum, sed magis in pœnas.* Ergo.

Cujus doctrinæ ratio ex ipsa timoris natura petitur, nam ut scri-

scribit idem Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 19. articu. 11. *motus timoris est per modum* FUGAE, & ex Augustino l. 14. de civ. c. 7 Laurentius Iustinianus: *Timor est amor fugiens quod ei aversatur*. Et Augustinus ipse tract. 46. in Ioannem: FUGA *animi timor est*. Quemadmodùm ergò, qui alium fugit, non vertit illi faciem & vultum, neque ad illum convertitur; ità etiam, qui per timorem gehennæ Deum iratum fugit, non vertit illi faciem & vultum, sed dorsum, neque ad illum convertitur. De timore c. 1.

Quocircà appositè scribit Guilielmus Parisiensis de Contritione, quod *peccator ante contritionem dorsum habeat ad Deum, & non faciem, sicut legitur Hieremiæ 2. verterunt ad me tergum & non faciem. Cum autem conteritur de peccatis, vertit ad Deum faciem, & tergum ad peccata.*

Quò fit etiam, ut plerique doceant, quod per timorem Deus nullomodò tangatur, quod memini me in P. Arriaga legisse. Et Suarez 2. 2. dicit, quod *Deus timeri non potest, ut obiectum*. P. Vasquez etiam 1. 2. disp. 15. c. 6. n. 35. *nemo potest proximè timere Deum, aut de illo tristari.... cum verò dicimus timere Deum tamquam ultorem, remotè tantùm dicimur timere ipsum, non ratione suî, sed ratione effectus, nempè pœna.* Qui ergò timet Deum tamquam ultorem, non convertitur ad Deum, sed ad effectum scilicet pœnam. Pag. 300. & 344.

Neque distinguas inter timorem & Attritionem ex timore oriundam: nam *Attritio, de qua agimus, pro motivo adæquato, & ultimato habet metum gehennæ*, ut loquitur P. Le Dent num. 26. Clarùm est autem quòd Attritio, quæ pro objecto adæquato & ultimato habet fugam Dei, non sit conversio & reditus ad Deum.

Quid autem opponat Adversarius, examinemus. Opponit itaque hoc unicum, quod Alphonsus Vega lib. 6. cap. 32. dicat, quod *convertamur ad Deum per* PROPOSITUM SERVANDI MANDATI ILLIUS: tale enim propositum posse haberi sine aliqua Dei propter se dilectione, tamquam rem in confesso positam, non probat.

Verùm miror, si totum illud caput legerit Author ille: nam in fine ejusdē Capitis Vega habet hæc expressissima verba: HOC PROPOSITUM SERVANDI MANDATA DIVINA DILECTIO DEI SUPER OMNIA VIDETUR, AUT CERTE NON ESSE SINE ILLA. Quæ verba cum sint contradictoria eorum, quæ pro concessis sumit P. Le Dent, non est quod ullam elucidationem adjiciam, ne videar Solem velle admotis facibus adjuvare.

Non possum autem hîc non observare, quod idem Scriptor passim pro re concessa habeat, efficax propositum servandi mandata di-

vina posse haberi ex solo timore gehennæ: quod tamen negat Vega, Bellarminus, alijque, & meritò negari constabit ex dicendis.

ARGUMENTUM SEPTIMUM.

Trid. sess. 14. c. 1. *Fuit* QUOVIS TEMPORE *ad impetrandam veniam peccatorum Contritionis motus necessarius: sed motus Contritionis aliquam Dei propter se Dilectionem requirit. Ergo.*

ADDITAMENTUM VI.

FAtetur P. Le Dent ad justificationem cum Sacramento Pœnitentiæ requiri veram Contritionem: negat porrò, quòd vera Contritio nequeat ex solo timoris gehennæ motivo provenire. Verùm, quid ad hæc, quæ sequuntur?

PRIMO. Vera Contritio debet esse dolor & detestatio de peccato commisso: sed detestatio de peccato commisso est actus amoris benevolentiæ, prout disertè ostendi ex D. Thoma. Ergo.

Rationem addidi, quia ille qui dolet de peccato propter pœnas inferni, propriè loquendo non dolet de ipso peccato, ut peccatum est, sed de pœnis inferni.

Huic rationi resistit Adversarius dicens, clarissimæ repugnare veritati, si dicatur, quòd ille qui detestatur peccatum ex metu gehennæ, non detestetur verè peccatum. Qui enim fugit leonem, aut lupum, ne ab illo laceretur aut lædatur, verè fugit ista animalia, licet id ultimatè faciat ex amore sui, ne sibi malum accersat.

Respondeo tamen, quòd, si propriè loqui velimus, ille, qui detestatur peccatum ex solo metu gehennæ, non verè detestetur ipsum peccatum, sed effectum peccati: sicut etiam, qui fugit leonem, aut lupum propter damnum, quod ab illis timet, non tam fugit leonem aut lupum, quàm damnum, quod sibi timet à leone, aut lupo. Cujus rei signum manifestissimum est, quòd si nullum timeret malum à leone, vel lupo, non magis fugeret leonem aut lupum, quàm ovem, aut Agnum.

Quod ulteriùs declarari potest in odio inimici. Qui enim odit inimicum propter vitia, propriè non odit naturam, sed vitia inimici. Docet hoc frequentissimè S. P. Augustinus, vocatque illud odium, perfectum odium, de quo Psalmo 138. *Perfecto odio oderam illos.* In quem locum: *Quid est,* inquit, *perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.* Et sermone

de

de S. Stephano: *facile & proclive est malos odisse, quia mali sunt, rarum autem & pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt, ut in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes.*

Ex quibus verbis patet, quòd ille, qui odit inimicum propter culpam, si nihil aliud accedat, non detestetur naturam: ergo similiter, qui detestatur naturam peccati propter gehennam, non tam detestatur naturam peccati, quàm detestetur ipsam gehennam, quæ totius detestationis origo est. Et sicut potest quis odisse culpam & amare naturam inimici, ita potest quis odisse pœnam & diligere naturam peccati.

Idem notari potest in alijs affectibus animæ, nam juxta Augustinum Hom. 38. inter 50. *Si propterea proximum ames, ut præstet tibi, vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale, non illum amas, sed illud, quod præstat.* Item in Psalmum 77. *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, sed illa quærebant.* Et in Psalmum 55. *Non* DILIGIT *uxorem, qui propter* DOTEM *illam diligit.* Ergo similiter non detestatur peccatum, qui propter pœnam illud detestatur.

SECUNDO. Contritio, de qua Tridentinum, debet esse cum proposito non peccandi de cætero, & anteactæ vitæ odio: sed illa requirunt aliquem Dei propter se amorem, prout ostendi ex Vega, Bellarmino, D. Thoma, Vasque, Cajetano, Scoto, Gabriele &c. Ergo.

TERTIO. Tridentinum, ut probet Contritionem esse necessariam, utitur ijs Scripturæ locis, quæ de Attritione servili præposterè intellexeris.

Conatur quidem verba illa Ezechielis 18. *projicite à vobis omnes iniquitates vestras &c.* interpretari etiam de projectione, quæ fit per Attritionem servilem: Sed præterquàm, quod neminem istius interpretationis Authorem adferat, videaturque potius excogitata ad declinandum vim argumenti, quàm repellendum, nemini cordato persuadebitur, quod Judæi projecerint à se iniquitates suas, fecerint sibi cor novum, & spiritum novum solo timore pœnæ à peccato abstinentes.

Quod ipsum luculentè demonstratum est discrimine veteris & novi Testamenti tradito ab Augustino & Angelico Doctore, quorum verba clariora sunt, quam ut à nobis debeat adjici explanatio, vel ab Adversario adferri possit verisimilis responsio.

At objicit ex Augustino libro de moribus Ecclesiæ cap. 28. tam timorem, quàm amorem esse in utroque Testamento: *utrumque*, inquit, *in utroque testamento est; prævalet tamen in vetere timor, amor in*

novo & infert Adversarius: *Cur ergo detestans peccata ex timore pœnæ potiùs spectat ad vetus Testamentum, quam ad novum?*

In promptu responsio est ex Augustino, qui libro 1. de Baptismo cap. 15. & alibi frequenter docet, quod in novo Testamento multi pertineant ad vetus Testamentum & è contrà, in veteri Testamento multi pertinuerint ad novum Testamentum.

Ad vetus Testamentum etiamnum pertinent, qui timore à peccatis abstinent, ad novum olim pertinebant, qui amore justitiæ à peccato abstinebant. Hinc Augustinus contra Adimantum cap. 17. *hæc est brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum*, TIMOR ET AMOR: *Illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet.* innuens, quod illi omnes pertineant ad vetus Testamentum, qui timore, & ad novum, qui amore ducuntur:

Dico ergo quod illi, qui in novo Testamento à peccato abstinent solò timore pœnæ, pertineant ad vetus Testamentum. Et de illis potest intelligi quod scribit D. Thomas 2. 2. q. 108 art. 1. ad 3. quod; *qui ex amore non moventur ad bonum, etsi numero sint de Ecclesia, non tamen merito.*

ARGUMENTUM OCTAVUM.

Trid. sess. 14. c. 4.

Attritio illa demùm sufficit cum Sacramento Pœnitentiæ, SI VOLUNTATEM PECCANDI EXCLUDAT: *sed Attritio servilis voluntatem peccandi non excludit. Ergo non sufficit cum Sacramento Pœnitentiæ.*

Quia Adversarij in hoc ipso loco Tridentini primarium & ferè unicum ponunt sententiæ suæ stabilimentum, opportunius erit de eo agere, quando oppositis Adversariorum objectionibus respondebitur.

ARGUMENTUM NONUM.

Trid. sess. 14. c. 4.

Attritio salutaris debet concipi ex isto timore, QUO UTILITER CONCUSSI NINIVITÆ PLENAM TERRORIBUS POENITENTIAM EGERUNT, ET MISERICORDIAM A DOMINO IMPETRARUNT: *atqui timor ille Ninivitarum non fuit destitutus omni benevolo in Deum affectu.* Ergo.

ADDITAMENTUM VII.

Responsionis caput est, Ninivitas justificatos fuisse amore per se justificante. Verùm, quo jure tamquam certum hoc assumitur, eodem negatur. Maximè, quia Tridentinum hoc ipso,

quo

quo doctrinam à se traditam de Attritione per se non justificante confirmat exemplo Ninivitarum, satis insinuat Ninivitas non fuisse justificatos amore per se justificante.

Vnde apparet mihi, quod Adversarius argumentum conetur à scopo suo divertere: multa enim miscet, quæ sunt alterius indaginis, cujusmodi sunt, quis sit amor per se justificans? quâ ratione justificatio contigerit in antiquo Testamento? an stabili Dei lege, an tempore incerto, non autem statim, atque erant contriti, ut habetur apud Sylvium suppl. quæst. 5. art. 1.?

Has & hujusmodi quæstiones discutere non est hujus loci, satis sit neminem hactenus (quod sciam) docuisse Ninivitas misericordiam impetrasse absque aliqua Dei propter se dilectione, qualiscumque demum illa fuerit.

Respondet insuper, quod non omnis Attritio salutaris debeat concipi ex illo timore, quo concussi sunt Ninivitæ.

Verùm, vel non satis percepit, vel, quod malim dicere, ego ipse non satis clarè expressi, quid dictâ propositione intenderem. Sciat itaque dictæ propositionis sensum hunc esse: *Attritio salutaris, quæ ex aliquo Dei timore nascitur; (de illa enim agitur) debet concipi ex illo, vel saltem non minùs perfecto, timore, quàm fuerit ille, quo utiliter concussi Ninivitæ* &c. Quare, si quid minùs expressum fuerit, benevolus Lector pro sua humanitate juxta hunc sensum dignetur supplere.

Cæterùm hoc Argumentum procedit ex hypothesi, quòd isto loco agatur de Attritione proximè disponente ad justificationem. Qua de re posteà.

Argumenta quædam ex Tridentino conglobata.

PRIMO. Sess. 6. cap. 6 & Sess. 14. cap. 1. inter præparationes ad justificationem requisitas Tridentinum illam recenset, quæ continetur verbis D. Petri Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque*, atqui his verbis non continetur sola præparatio per motum timoris, quia Israëlitæ erant compuncti spiritu timoris &c.

Respondet 1. quòd compunctio illa possit etiam intelligi in compunctione ex amore Dei. Verùm hoc est causam nostram juvare, cùm enim Pœnitentia de qua Act. 2. sit præparatio ad justificationem requisita, eamque præcesserit compunctio ex amore Dei: quid aliud concludi potest, quàm Pœnitentiam de qua Act. 2. prærequirere amorem Dei?

Respondet 2. probandum esse, quòd habuerint timorem, qualem

re-

requirit, id est cum detestatione peccatorum &c. Verùm negamus talem timorem posse dari sine Dei Dilectione. Undè responsum nititur falsâ hypothesi.

SECUNDO. Trident. Seſſ. 6. cap. 7. requirit *Fidem, qua per Charitatem, seu Dilectionem operatur.*

Quærit, cùm ibi dicatur, nec Circumcisionem, nec præputium aliquid valere, sed Fidem, quæ per Charitatem operatur, an censeam, nullum actum valere nisi, qui fiat ex motivo Dei propter se dilecti?

Quæro & ego an rectè scribat Augustinus cap. 3. de correp. & grat. *Præcipit Apostolus dicens: Omnia vestra in Charitate fiant?* Et Chrysostomus Homilia 26. in Matthæum: *Fides est, quæ per Charitatem operatur, Fides autem, quæ non habet Charitatem, nullum potest boni operis fructum proferre?* Et D. Thomas 3. p. q. 68. art. 2. dicens, quòd Catechumeno ad salutem necessarium sit *desiderium Baptismi, quia aliter in bonis operibus non moreretur, quæ non possunt esse sine Fide per Dilectionem operante?* Cæterùm de sensu hujus loci ad Galatas 5. egi suprà Additamento 2. §. 2.

TERTIO. Seſſ. 6. cap. 10. *Justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cùm orat: Da nobis Fidei, Spei & Charitatis augmentum.* Ergo in homine justificato præcedit Charitas actualis, de qua ibi agitur.

Respondet hunc locum intelligi de habitu Charitatis. Quorsùm hoc? Quia titulus Capitis est, *de accepta justificationis incremento.* Contrarium indè sic colligo. Certum est habitum Fidei, & Spei & Charitatis non pertinere ad formalem justificationem, licet enim hoc de habitu Charitatis dici possit, non credo tamen hoc de habitu Fidei & Spei dictum iri. Ergo agitur de actu Fidei & Spei, & consequenter etiam de actu Charitatis.

At, inquit, *habitus dicitur accipere incrementum, non autem actus.* Verùm ego illam Philosophiam non intelligo, sum enim edoctus actus amoris, odij &c. posse intendi & incrementum capere, neque possum hac de redubitare, quamvis de modo, quo fit major intensio, an per majorem radicationem &c. sciam Authores inter se disputare.

QUARTO. Seſſ. 6. c. 11. *Qui sunt filij Dei Christum diligunt*: Sed qui suscipit Sacramentum fit filius Dei, ergo Christum diligit.

Respondet agi de Dilectione, quæ sita est in observatione mandatorum, certum est autem sæpissimè servari mandata sine dilectione Dei, de qua disputamus.

Sed contrà. Falsò asseritur, quod possint mandata Dei servari sine di-

dilectione Dei, nisi quis velit eâdem operâ asserere, quod primum maximumque dilectionis præceptum possit servari sine Dei dilectione. Verùm de hac re aliàs. Vis interim argumenti hæc erat: qui sunt Filij Dei Christum diligunt: Ergo qui fiunt Filij Dei multò magis Christum debent diligere.

QUINTO. Qui operando mercedem intuentur æternam, illud debent spectare, ut *in primis glorificetur Deus*. Ergo etiam qui fugiunt gehennam &c.

Respondet Tridentinum non docere, quod spectare debeant, ut in primis glorificetur Deus.

Sed contrà. Tridentinum verba illa, *ut in primis glorificetur Deus*, apponit ut conditionem in primis requisitam in operibus illorum, qui mercedem intuentur æternam. Vult enim in bonis operibus non solam, aut præcipuè spectandam esse mercedem, sed Deum, ejusque gloriam: tamquam ultimum finem, mercedem autem, ut finem secundarium, qui propter Deum, ejusque gloriam expetatur. Vndè ipse Bellarminus *ex verbis Tridentini*: UT IN PRIMIS GLORIFICETUR DEUS: *Clarè*, inquit, *videmus non tantùm, nec præcipuè amore mercedis operandum esse ex doctrina Concilij, sed* PRIMUM *quidem propter* GLORIAM DEI, *deinde etiam propter mercedem felicitatis æternæ. Quam doctrinam ex Scripturis & Patribus, & naturali ratione probabimus.* L.5. de justif.c 8.

SEXTO. Can. 8. Tridentinum non dicit, quod *propter gehennæ metum ad Dei misericordiam dolendo confugiamus, sed* PER *gehennæ metum*, quo significatur principium extrinsecum dolendi, non causa finalis.

Respondet particulam *per* subindè pro particula *propter* usurpari. Fateor id subindè fieri, sed minus usitatè. Sed ne in vocis usu hæreamus; quid ad Angelicum & Seraphicum Doctorem, quorum uterque cum plerisque antiquis, timorem vocat principium extrinsecum?

SEPTIMO. Sess. 14. c. 2. ad effectum pœnitentiæ salutaris pervenire nequaquam possumus, *sine magnis nostris fletibus, ut meritò Pœnitentia laboriosus Baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit.* Quid autem opus magnis illis fletibus, si sufficit dolor ex timore gehennæ?

Quid hoc argumento voluerim, non perspexit Adversarius: Siquidem ad sanctorum Patrum Pœnitentiam & laboriosum Baptismum me referebam: Illi enim soliti fuerunt per varios labores, corporis afflictationes, fletus, pœnitentæ actiones &c. experiri fucata ne esset, an vera peccatoris Pœnitentia? Quærebat itaque argumentum, quid opus fuerit tot indicijs & argumentis explorare statum Pœnitentis, si vera sit & legitima, quæ ex gehennæ timore nascitur, Pœnitentia? Vix enim reperies peccatorem, qui timore gehennæ non

ſit perculſus. Amor autem Dei ſyncerus & caſtus, quo Deus propter ſe diligitur nullâ proprij commodi vel incommodi ratione, in paucioribus reperitur. Vnde ſancti illi Patres varijs indicijs & argumentis explorabant, an qui ad reconciliationem aſpirabant, seriò ex Dei amore Pœnitentiam agerent, ut ità exhibitio pœnitentialis operis, probatio fieret veræ Pœnitentiæ & Dilectionis.

Caput Secundum.

Proponitur Lutheri de Contritione doctrina oppoſita doctrinæ Tridentini.

§. I. *Quod Lutheri duplex fuerit de Contritione ſententia.*

Alphonſus Virveſius in ſua Philippica nona rectè obſervat duplicem fuiſſe Lutheri de Pœnitentia ſententiam. Cùm enim dixiſſet, quòd Philippus Melanchton, ut minimùm memoriâ lapſus fuiſſet *commemorando primam Lutheri doctrinam de Pœnitentia,* Subjungit, PRIMAM *dixi, quia variè hac de re, ſicut & de ceteris, quas novo dogmate convulſit, loquutus eſt aliquoties. Primò namque non fidei ſed* CHARITATI *Pœnitentiæ ſummam, vimq; tribuerat, Theologorum Contritiones explodebat, irridebat Attritiones,* TIMORES *damnabat, nec à* TERRORIBUS *iſtis, quos modo* INCUTIT, *ſed à dilectione exiſtimabat incboandam eſſe Pœnitentiam.*

Quamobrem rectè ſcribit Caniſius l. 1. de corrup. cap. 10. quod *Lutherus ipſe, ut in alijs pleriſque, ità hic etiam ſuas ſæpè mutavit ſententias.* Quod magis patebit ex ſequentibus.

§. II. *Explicatur prima Lutheri de Contritione ſententia.*

Pag. 100. PRimam Lutheri ſententiam exponit Roffenſis ad art. 6. his verbis: *Cùm Contritio poſſit duobus parari modis, hoc eſt, vel per timoris, vel per amoris viam, tu* TIMORE POSTHABITO, SOLO *vis* AMORE *Contritionem à peccatoribus quæri.*

Pag. 108. Et infrà. *Cum duo ſint capitales modi, quibus reſipiſcere peccatores conſueverunt, tu* tamen *illum* (Amoris) *ita mordicùs amplecteris, ut* HUNC (Timoris) OMNINO REIICIAS. Vide Eckium l. 1. de Pœnit. c. 2. & 3. & Quæſt. Quodlib. pag. 51.

Ex hac autem doctrina, quod ſolo amore concipienda ſit Pœnitentia, Lutherus conſequenter docebat, Pœnitentiam eſſe dulcem nul-

nullâque amaritudine resperſam. Undè Joannes Eckius lib. 1. de Pœnit. cap. 22. *Cùm impiè ſtatuiſſet Lutherus Pœnitentiam inchoari ab amore, non à timore, mox conſectarium facit Pœnitentiam debere eſſe dulcem.* Pag.253.

Eamdem ob cauſam dixit, *Pernitioſum eſſe genus docendi, quo intuitu pœnarum, præmiorum, peccatorum docentur pœnitere.* Apud Roff. art.6.

Denique eodem fundamento docuit, quòd *optima Pœnitentia ſit nova vita* per amorem, non reſpiciens retrorsùm per timorem.

Voluit autem ſolo amore Contritionem eſſe quærendam, quia timorem,& quidquid fit ante Charitatem, exiſtimabat eſſe peccatum, hypocriſim &c. prout patet ex aſſertione articuli ſexti.

Obſervatione verò dignum eſt, quòd primam hanc Lutheri de Contritione ſententiam, nulli Lutherani ſecuti fuerint, ſaltem à tempore Confeſſionis Auguſtanæ Anno 1530. Cùmque Lutherus,ut patebit infrà, prælegerit illam ſententiam, quæ terrores conſcientiæ primam partem Pœnitentiæ ſtatuit, conantur ipſum à contradictione excuſare, & inter cæteros Kemnitius in 2.parte Exam. pag. 964. ubi negat Lutherum docuiſſe, quòd Attritio faciat hominem hypocritam & magis peccatorem. Verùm mentitur iniquitas ſibi & declinat cor ſuum in verba malitiæ ad excuſationes in peccatis, nam ex ſermone de Pœnitentia, item ex articulo ſexto & ejus aſſertione manifeſtum eſt ſine impudentia non poſſe negari, Lutherum ita ſenſiſſe.

Pari impudentiâ Joannes Gherardi Scholæ Lutheranæ Doctor Neotericus & in Academia Jenenſi Profeſſor tomo 3.locorum Theolog. de Pœnitentia cap. 10. num.44. affirmat *Lutheri* CONSTANTEM *fuiſſe* SENTENTIAM, quòd prima pars Pœnitentiæ ſit *Contritio, ſeu terrores incuſſi conſcientiæ agnito peccato.* Quamvis enim nullâ veriſimilitudine negari poſſit Lutherum per ſexdecim, aut circiter annos in ea fuiſſe & perſtitiſſe ſententia, tamen ab initio non docuit ſic; ut proindè fruſtrà ſint, qui hoc *varium & mutabile ſemper monſtrum,* ut cum Cochlæo loquar, ab inconſtantiæ macula conantur expurgare.

§. III. *Proponitur poſtrema Lutheri, Lutheranorumq; de Contritione ſententia.*

TRidentinum Seſſ. 14 cap. 3. & Can.4. damnat eorum ſententiam, qui dixerint primam Pœnitentiæ partem eſſe *terrores incuſſos conſcientiæ agnito peccato.* Hujus porrò damnatæ ſententiæ primus author Lutherus fuit, teſte Roberto Bellarmino. Lib. de pœnit.c.18.

Quod ipſum conſtat ex eo, quòd juxta Ruardum Tapperum tota

Pag. 173. doctrina Confessionis Augustanæ sit *erronea*, *ac primùm à* MARTINO LUTHERO *ex Diaboli suggestione* INVENTA. Undè & Lutherus doctrinam Confessionis Augustanæ suam vocat, eamque dicit verum Evangelium, sacramque Scripturam. *Doctrina nostra*, inquit, *palàm inventa est Augustæ, quod sit verum Evangelium, ac sacra Scriptura*. Et Bellarminus lib. 1. de Pœnit. cap. 2. refert, quòd Lutherus epistolam laudatoriam præfixerit disputationi Philippi Melanchtonis de partibus Pœnitentiæ, à quo Melanchtone concinnata est Confessio Augustana, ac proindè eadem est Lutheri, quæ Confessionis Augustanæ & Philippi Melanchtonis sententia. Confessio autem Augustana concinnata est non iisdem ferè, sed ipsissimis, ne iota quidem, aut apice variato, quibus Tridentinum damnatam doctrinam exprimit verbis.

Apud Cochlæum ad ann. 1531.

Porrò, si quis ulteriùs hoc probari desideret, audiat Lutheranum Gherardi de quo §. præcedente Lutheri, Lutheranorumque doctrinam sic explicantem: *Sententia Ecclesiarum nostrarum* (Lutheranarum) *in Augustana Confessione art.* 12. *disertè est exposita. Constat Pœnitentia propriè his duabus partibus, altera est Contritio, seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato* &c. *idem repetitur in articulis Schmalc, parte 3. art. 3. in form. concord. art. 5. & Apolog. c. 12. quam & D. Lutheri constantem fuisse sententiam patet ex comment. in Ps. 51. & in c. 42. & 50. Gen. in Ioel. 2. & c. 3.*

§. IV. *Quid per terrores incussos conscientiæ intelligat Lutherus, ejusque discipuli?*

NOnnulli solam verborum superficiem intuentes putant Lutherum, ejusque Discipulos per terrores incussos conscientiæ complecti solum terrorem, seu metum gehennæ, nullum autem dolorem, nullam detestationem peccati, aut propositum melioris vitæ.

Ita sentire videtur P. Le Dent numero 234. ubi propositis sibi his verbis articuli quarti Lovaniensis, in quo damnatur error Lutheranorum, quòd *Contritio sit terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum*, quamvis *præparet hic terror & gehennæ metus ad veram animi Contritionem*: ita respondet: *Statuit articulus Pœnitentiam non esse terrores conscientiæ ob apprehensum gehennæ supplicium: id nos non admittimus modò, sed perpetuò inculcamus, quòd terror, seu metus gehennæ non sit vera Pœnitentia, sed quod requiratur, ut ex illo metu peccator progrediatur ad detestanda peccata & statuendum futura non admittere.*

Si-

Simile responsum adfert numero 175. *Fateor, inquit, Lutherum admisisse terrores, hinc tamen non infertur docuisse nostram sententiam.* OSTENDERE DEBEBAT *Author Quodlibetica, quòd Lutherus alicubi docuerit in Sacramento Pœnitentiæ ad iustificationem sufficere dolorem de peccatis, & propositum vitæ novæ ex solo motivo timoris gehennæ.*

Itaque discrimen inter Lutheranos terrores & Attritionem servilem hic Author in eo situm esse existimat, quòd Lutherani terrores non complectantur dolorem de peccatis, & propositum vitæ novæ, quæ omnia complectitur Attritio servilis. Quia verò monet me officij mei, & quid ostendere debuerim, indicat, parebo monitioni, & injectæ mihi obligationis debito me exolvam, ostendendo, quòd per Lutheranos terrores, non solus timor gehennæ, verùm etiam dolor de peccatis, & propositum vitæ novæ intelligantur, ac proindè aliud discrimen quærendum esse.

§. V. *Ostenditur quòd Lutherani per terrores incussos conscientiæ etiam intellexerint dolorem de peccatis.*

PRIMO. Constat hoc ex Confessione Augustana, cujus articul. 12. sic habet: *Constat autem Pœnitentia, hoc est conversio impij, propriè his duabus partibus, altera est Contritio, hoc est* TERRORES INCUSSI CONSCIENTIAE, *in quibus & iram Dei agnoscimus, &* DOLEMUS *nos* PECCASSE, *& peccata* DETESTAMUR, *ac fugimus.* In quibus verbis clarum est sub terroribus intelligi dolorem de peccatis.

SECUNDO. Philippus Melanchton in Apologia, *dicimus*, inquit, *Contritionem veros* TERRORES CONSCIENTIAE, *quæ Deum sentit irasci peccato, &* DOLET *se peccasse* &c.

TERTIO. Confessio Wittembergensis, *Contritionem*, inquit, vocamus *sensum divinæ iræ, seu* DOLOREM, *aut pavorem animi ex agnitione magnitudinis peccatorum* &c.

TERTIO. Lutherus ipse, postquàm profecisset in schola Satanæ, primamque partem Pœnitentiæ in terroribus conscientiæ constitueret, nihilominùs dolorem de peccatis in illa prima parte Pœnitentiæ vult intelligi.

In cap. 2. Joelis, *habes*, inquit, *quid sit Pœnitentia*, TIMERE *Deum propter peccata*, DOLERE DE PECCATO, *odisse peccatum; seriò cogitare de emendanda vita. Hac est una pars*, scilicet Pœnitentiæ.

Et in cap. 14. Oseæ. *Meminerimus igitur Pœnitentiam veram incipere ab agnitione vera & confeßione peccati. Neque autem hæc poteſt exiſtere ſine ingenti* DOLORE. *Quia enim mens intuetur voluntatem* DEI, *&*

AETERNAS PECCATI POENAS, *hoc est mortem ob oculos habet, seriò commovetur, & non tantùm dolet de admißis peccatis, sed etiam peccatum verè incipit odiße. Hunc motum, sive* CONTRITIONEM, *sive* ATTRITIONEM *dicas, non statuimus cum Sophistis, eße motum hominis, sed Spiritus Sancti.*

QUINTO. Lutherani posteriores ità Lutherum & Confessionem Augustanam explicant. Undè Joannes Gherardi num. 75. Catholicis objicientibus, quod terrores etiam in corde duro ac superbo esse possint &c. omnium Lutheranorum nomine respondet: *Nequaquam dicimus Contritionem esse tantummodò* TERROREM, *sed peccati agnitionem, ac* DETESTATIONEM, *cordis humiliationem* &c.

QUINTO. Ipsimet Catholici, qui huic commento Lutherano primi sese opposuerunt, fatentur ingenuè per terrores conscientiæ incussos à Lutheranis intelligi non solum terrorem, sed etiam de peccatis dolorem.

Alphonsus Virvesius Philippicâ 9. *Nunc*, inquit, *ad Pœnitentiæ partes, quas vos descripsistis, & Philippus confirmat, accedamus. De Contritione, quam veros terrores, &* SERIOS DOLORES *Philippus appellat &c.*

Et iterùm. *Philippus hæc omnia velut ociosas disputationes floccipendens, tantùm exigit à nobis veros terrores, quibus anima* SERIO DOLEAT.

Joannes à Daventria propositâ sibi sententiâ Melanchtonis de terroribus conscientiæ, dicit constare inter Catholicos & Adversarios, quod *peccator audiens fœditatem, gravitatemq; peccatorum,* TIMERE ET DOLERE *incipiat, qui priùs, ut iubatus Gigas neminem metuebat.*

Deindè hanc Melancthonem inter & Lutherum ponit antilogiam: *si utile est* (secundum Melanchtonem) *ex fœditate, & gravitate peccati, & ingruentis supplicij terrore de* PECCATIS DOLERE, *quid venit Luthero in mentem, ut scriberet, quod Contritio, quæ discußione & detestatione peccatorum paratur, hypocritam magis, ac peccatorem facit?*

Et iterùm: *Dicunt Contritionem veros eße terrores conscientiæ sentientis Deum irasci peccato,* & *se* PECCASSE DOLENTIS.

§. VI. *Idem ostenditur de proposito vitæ novæ.*

DIcent fortassis, hactenùs abundè probari terrores Lutheranos complecti dolorem de peccatis, nequaquàm tamen propositum vitæ novæ.

Verùm plerique Adversarij docent Attritioni salutari comparandæ

dæ sufficere implicitum non peccandi propositum, seu dolorem de peccatis propter offensam Dei, qui virtute includit propositum non peccandi de cætero. Tale autem propositum per Lutheranos terrores intelligi, constat ex præcedentibus, ubi ostendimus Lutheranis terroribus intelligi verum de peccatis dolorem.

Ne quid tamen desideret curiosus Lector, lubet ex ipso Luthero ostendere, quod per primam partem Pœnitentiæ, quam vocat Contritionem, seu ut habet in cap. 50. gen. terrorem conscientiæ, intelligi debeat etiam propositum novæ vitæ.

Patet hoc ex Luthero in cap. 2. Ioelis, ubi ità scribit: *Habes quid sit pœnitentia, timere Deum propter peccata admissa, dolere de peccato, odisse peccatum,* SERIO COGITARE DE EMENDANDA VITA. *Hæc est una pars*, scilicet Pœnitentiæ. Quid enim aliud est, *seriò cogitare de emendanda vita*, quàm propositum novæ vitæ?

Et in cap. 14. Oseæ: *Hanc quasi flammam divini iudicij* (terrores intelligit, quos anteà vocat sensum pœnarum) *cùm Spiritus Sanctus per verbum in corda immittit, tum sequuntur, non hypocritici, sed veri & serij motus, dolor de peccato, confessio peccati, &* PROPOSITUM CAVENDI, ET FUGIENDI PECCATI.

Timotheus Kircknerus in libro, quem inscribit, *thesaurum explicationum omnium articulorum Dei viri, ac summi Theologi* D. *Martini Lutheri*, inter propositiones Lutheri recenset sequentem: *Pœnitentia omnium testimonio & vero est dolor de peccato cum adiuncto* PROPOSITO MELIORIS VITAE. Quæ autem differentia inter propositum melioris vitæ, & novæ vitæ?

Et propositione 10. *Sophistæ definitionem Pœnitentiæ, quòd sit dolor &* PROPOSITUM *&c ex Patribus habuerunt, & docuerunt.*

Item propositione 9. affirmat, quòd Pœnitentia, quæ caret BONO PROPOSITO, *si perseverat, sit Pœnitentia Cain, Saul, Iudæ* &c.

§. VII. *Vtrùm Lutherani nomine terrorum incussorum conscientiæ intellexerint aliquem benevolum Dei affectum, vel Charitatem?*

NEgat Alphonsus Virvesius Philippica 9. *Vestra*, inquit, *Confessio, & Philippi Apologia* contritionem, *& timorem, tametsi mutato in terrores nomine, exigit ad Pœnitentiam....* CHARITATEM *verò ab ea prorsùs* EXCLUDIT.

Et meritò. Tradit enim Philippus Melanchton in Apologia, quòd *non potest priùs adesse* Dilectio, *quàm Fide factâ sit reconciliatio, nec potest eum diligere, quem iratum videt, & præcipitare velle in gehennam.*

Qua-

Quapropter, cùm incussi conscientiæ terrores, juxta Lutheranos, priores sint reconciliatione per Fidem factâ, sequitur, quòd in illis terroribus, non contineatur ulla Dei Dilectio, quæ juxta eosdem non præcedit, sed sequitur justificationem.

Ita ratiocinatur Albertus Pighius controv. 9. *Contritio*, inquit, *vobis definientibus, terrores sunt conscientiæ sentientis Deum irasci peccato. Terror est timoris incussio, aut ut possit terrefacto competere, metus, timorve incussus. Timor iste* VOBIS AUTHORIBUS *non procedit ex* AMORE DEI, *nec potest, cùm affirmetis impossibile homini diligere Deum, nisi priùs peccata sibi remissa certâ Fide apprehendat. Ita enim & hîc dicitis, & dixistis suprà in assertione iustificantis vestræ Fidei: nec priùs* DILECTIO *adest, quàm Fide reconciliatio facta sit.*

Lutherus etiam negat opera Charitatis priora esse justificatione, ut in Commentario Epistolæ ad Galatas, quem scripsit anno 1535. *Postquam*, inquit, *Fidem in Christum sic docuimus, docemus etiam de bonis operibus. Quia apprehendisti Fide Christum, per quem iustus es, incipe nunc benè operari,* DILIGE DEUM *& proximum ... hæc verè sunt bona opera, quæ fluunt ex ista Fide* &c.

Atque ijs, quæ tribus hisce Paragraphis dicta sunt, spero me præstitisse, quod exigebat Adversarius: ostendi enim Lutheranos conscientiæ incussos terrores, complecti dolorem de peccatis, & propositum novæ vitæ, absque ullo Dei benevolo propter se amore, ac per consequens ex solo motivo timoris gehennæ. Aliud ergo discrimen quærendum est ab Adversarijs.

§. VIII. *Vtrùm iuxta Lutheranos, terrores conscientiæ sint boni & supernaturales?*

NOn erit inutilis hæc quæstio, ut penitiùs intelligatur Lutheranæ Pœnitentiæ ratio.

Nitidissimè autem rem illam exponit Joannes Gherardi cap. 11. num. 67. *Evidenter patet*, inquit, *quòd vera ac salutaris Contritio* (Lutherana) *non sit* NATURALIUM VIRIUM, *sed* SPIRITUS SANCTI *cor nostrum efficaciter moventis* OPUS.

Et anteà num. 47. Bellarmino obijcienti, quòd *terreri non est actus virtutis, sed naturalis affectio*, Respondet, quòd *talis terror* (de quo Lutherani) *non est effectus cuiusdam habitus acquisiti, vel infusi, ex libero hominis arbitrio ortus, sed est efficax motus à* SPIRITU SANCTO ACCENSUS.

Cujus doctrinæ ducem præeuntem habet Lutherum, qui in c. 14. Oseæ

Oseæ cùm scripsisset, quòd mens intuita æternas peccati pœnas *seriò commovetur* &c. addit, *hunc motum, sive Contritionem, sive Attritionem dicas, non statuemus cum Sophistis esse motum hominis, sed* SPIRITUS SANCTI OPUS EST.

Et infrà dicit, quod *Spiritus Sanctus illum motum inferat animis.*

Item in cap. 2. Joelis agens de *prima parte Pœnitentiæ, quam Prophetæ tradunt,* ita loquitur: *Hic dolor* SPIRITUS SANCTI OPUS EST, *qui per verbum legis ad hunc modum animos* TERRET.

Denique Catholici Scriptores terrores Lutheranos non reijciunt tamquam malos, sed tamquam non sufficientes, sive ut loquitur Lindanus Panopliæ libro 4. quibus *inchoatur Contritio, non perficitur.*

Ex dictis hoc Capite manifestum fit, quàm non de nihilo dixerim in Quæstione Quodlibetica, nobis & Adversarijs aliquid esse cum Lutherana doctrina commune, & aliquid diversum, quodque comparatione Lutheri habeamus nos, juxta phrasim Philosophorum, *Ut excedentia & excessa.* Pag. 52.

CAPUT TERTIUM.

In quo discutitur, an Tridentinum Sess. 14. cap. 4. nomine Attritionis *intellexerit proximam dispositionem ad justificationem?*

§. I. *Proponitur Doctrina Tridentini & opposita Lutheri.*

TRidentinum sess. 14. cap. 4. sic habet: *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum Spe veniæ, declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam Dei donum esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

Lutherus porrò, ut refert P. Le Dent, sic habet: *Contritio (sic enim cœpit vocari Pœnitentia interior) duplici viâ paratur. Primò per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, quâ quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gra-*

gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deindè amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia, quæ possunt dolorem & tristitiam adferre spe satisfaciendi per bona opera. Hæc autem Contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem, quia solùm timore præcepti, & dolore damni id facit. Et tales omnes indignè absolvuntur & communicantur &c. Et hæc est illa Contritio, quam ipsi vocant extra Charitatem non meritoriam, alij vocant Attritionem proximè disponentem ad CONTRITIONEM, *sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego iudico &c.* Vide P. Le Dent num. 2.

§. II. *Status difficultatis proponitur.*

ADversarij, ex allegatis Tridentini verbis collatis cum apposita Lutheri doctrina petunt, perpetuoque inculcant hujusmodi objectionem *:* Attritio de qua Tridentinum proximè disponit ad justificationem: Sed illa Attritio concipitur ex solo gehennæ & pœnarum metu, neque ullum Dei propter se amorem requirit. Ergò.

Solet autem duplex adferri responsio. Prima negat Tridentinum agere de proxima dispositione ad justificationem *:* Secunda negat Attritionem, de qua Tridentinum, ex solo gehennæ & pœnarum metu posse concipi, propterea, quod voluntas peccandi non excludatur positivè solo gehennæ & pœnarum timore absque omni benevolo Dei propter se amore.

Et quidem in quæstione quodlibetica primam responsionem tamquam ab antiquioribus Scholasticis traditam subindicavi, postremam autem pluribus tractavi, & argumēto *ad hominem*, ut loquuntur, assumpto, ostendi loco illo Tridentini Adversarios non tantùm non adjuvari, verùm etiam impugnari: de cætero dissimulanter processi non investigans, utrùm Attritio, de qua agitur, ex mente Tridentini foret proxima, necnè, ad justificationem dispositio?

Quia tamen P. Le Dent primam illam responsionem plus æquo despicit, nullâque ratione sustineri posse contendit, lubet hoc capite antiquorum Scholasticorum causam suscipere & verisimiliter ostendere non de nihilo Scriptores illos dixisse, Tridentino sermonem non esse de proxima ad justificationem præparatione.

§. III. *Probatur ipsius P. Le Dent principijs Tridentinum non agere de proxima dispositione ad justificationem.*

PRIMO. *Si verba Lutheri & Tridentini relata* §. I. *Cum invicem componantur, clarum fiet, quòd Synodus illum Contritionis modum tueatur,*

tueatur, ac adstruat, quem rejiciebat Lutherus. Atqui Lutherus loquebatur de Attritione, quæ juxta Catholicos non disponebat proximè ad justificationem. Ergo.

Prima propositio est Patris Le Dent num 171. Secunda propositio probatur ex verbis Lutheri citatis §. I. *Hæc est illa Contritio, quam ipsi vocant extra Charitatem non meritoriam: alij vocant Attritionem* PROXIME DISPONENTEM *ad* CONTRITIONEM, *sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego iudico.*

Notanda diligentissimè sunt illa verba: *Disponentem ad contritionem:* non ait *disponentem ad iustificationem, vel gratiam sanctificantem,* sed *ad Contritionem*, seu motum Contritionis.

Ex quo ita disputo: Attritio de qua Tridentinum disponit immediatè & proximè ad Contritionem: ergo non disponit immediatè & proximè ad justificationem, sed dumtaxàt intermediâ Contritione. Sicut ergo ex eo quod Fides non disponit ad justificationem nisi priùs disponendo ad bona opera, rectè infertur, quòd Fides non disponat proximè ad justificationem, sed mediantibus bonis operibus; ita etiam ex eo quòd Attritio non disponat ad justificationem nisi mediante Contritione, rectè infertur, quod non disponat proximè & immediatè ad justificationem.

Item ex eodem principio rursùm sic colligo: Attritio de qua Tridentinum non est vera Contritio, cùm ad illam tantùm disponat, ergo non est vera & prima pars Sacramenti Pœnitentiæ, quæ debet esse vera Contritio, ut fatetur P. Le Dent, ergo non est proxima ad justificationem dispositio. Num.206.

SECUNDO. *Tridentinum initio huius Sessionis spondet exactiorem, pleniorem ac perspicuam de hoc Sacramento definitionem,* inquit P. Le Dent num. 223. Atqui non traderet exactiorem, pleniorem, ac perspicuam de hoc Sacramento definitionem, si deberet intelligi de dispositione proxima. Ergo.

DECLARATUR. Si Tridentinum agat de dispositione proxima, quid, obsecro, causæ est, quod particulam *proximè* subticuerit, si illam subintelligi voluerit? Nonnè exactiorem, pleniorem, & magis perspicuam de hoc Sacramento definitionem tradidisset, si particulam *proximè* adjunxisset? Hoccine erat exactè, plenè ac perspicuè definitionem tradere, voculam *proximè*, cujus omissio tot scholasticas rixas, non sine scandalo, peperit, alto silentio premere?

Quòd si insuper *perspicuum* sit Tridentino sermonem esse de dispositione proxima, quâ ratione fit, quòd doctissimi Theologi, qui certè oculòs habent, ut legant, & judicium, ut intelligant, veritatem illam

illam non videant in Tridentino? Imò potiùs, undè fit, quòd contrarium perſpicuè colligi ex Tridentino ſibi certò certiùs perſuadeant?

Num.224. TERTIO. *Dùm dicit Attritionem diſponere ad gratiam in Sacramento impetrandam*, juxta P. Le Dent, *loquitur eodem modo, quo Seſſ.6.cap.6. ubi dicit: Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dùm credentes timore concutiuntur &c.* Atqui ſeſſ 6 c.6 habetur quidem quòd peccatores utiliter timore concutiantur, non tamē, quòd timor vel dolor ex eo tanquam motivo adęquato & ultimato proveniens proximè diſponat ad juſtificationem, cùm inſuper varia requirat, & inter cætera motivum Dilectionis, quâ Deus diligitur tamquam fons omnis juſtitiæ. Ergo.

QUARTO. Quod adfertur in Tridentino de Ninivitis, adfertur ad probandum *bonitatem actus*, ut loquitur num. 226. Ergo ſimiliter quod adfertur de Attritione immediatè præcedente, tantùm adfertur ad probandum bonitatem actus Attritionis.

Probatur hæc conſequentia, quia, quod factum Ninivitarum adferatur ad probandum bonitatem actus, manifeſtum eſſe dicit ex verbis ſequentibus: *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint* SACRAMENTUM POENITENTIAE *abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre.* Sed hæc verba multò magis referuntur ad Attritionem præcedentem, quandoquidem in Ninivitis non fuerit Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo etiam, quod adfertur de Attritione tantùm adfertur ad probandum bonitatem actus.

Atque hæc dicta ſint juxta principia doctrinæ nobis oppoſitæ.

§. IV. *Varia indicia, quibus illud ipſum ex Tridentino ſuaderi poteſt.*

PRIMUM INDICIUM. Attritio, de qua Tridentinum *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ* IMPETRANDAM *diſponit*, Quare non dicitur, quod Dei gratiam impetret, vel conferat? Cur dicitur, quod diſponat ad impetrandum, niſi quia diſponit mediante impetratione?

Sanè initio ejuſdem Capitis dicitur de Contritione, quæ eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, quod *præparet ad remiſſionem peccatorum:* non autem, quod præparet ad *impetrandam remiſſionem peccatorum:* quid igitur cauſæ eſt, quod de Attritione dicatur, quod tantùm diſponat ad impetrandum, niſi quia aliter & remotè tantùm diſponit?

Quid? quod ablutio baptiſmalis minùs rectè diceretur tantùm diſponere ad impetrandam remiſſionem peccatorum, quandoquidem illam impetret, aut potiùs tamquam pars Sacramenti conferat?

Quod

Quod si ergò similiter Tridentinum vellet Attritionem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, minùs rectè diceret, quod ad Dei gratiam impetrandam disponat, rectiùs porrò, quod illam in Sacramento Pœnitentiæ impetret.

SECUNDUM INDICIUM. Si Attritio germanum membrum est Contritionis de qua agit Tridentinum initio ejusdem Capitis, cur adduntur hæ particulæ *si voluntatem peccandi excludat*, quandoquidem Contritio, de qua initio Capitis, semper voluntatem peccandi excludat? Cur repetitur, quod debeat esse *cum spe veniæ*, cùm jam præcessisset ad Contritionem requiri *fiduciam misericordiæ divinæ*? Cur dicitur *ad Dei gratiam impetrandam disponere*, cùm jam disertè dictum fuisset veram Contritionem *ad remissionem peccatorum præparare*?

Quod si dicas potuisse ista rursùm proponi: quid causæ est quod non similiter rursùm mentio fiat de dolore, & peccati detestatione? De proposito non peccandi? An fortè, quia nolebat Tridentinum istiusmodi dolorem, detestationem & propositum Attritionis nomine intelligi?

Credibile ergo est, quod Tridentinum initio capitis 4. proposuerit duplicem Contritionem, quam dividit in Charitate perfectam, & eam, quæ non est Charitate perfecta, licet sit vera pars Sacramenti Pœnitentiæ: Et deindè assignaverit aliud genus Contritionis imperfectæ, de qua hoc unum asserat, quod sit motus bonus &c. nequaquàm tamen, quod sit pars Sacramenti Pœnitentiæ. Undè repetit ea, quæ ipsi communia sunt cum vera parte Sacramenti Pœnitentiæ. Et ità explicandum Tridentinum suadet hic modus loquendi: ILLAM VERO *Contritionem imperfectam &c.* Videtur enim sermo transferri ad materiam à præcedentibus diversam. Quemadmodùm contingeret transferri sermonem, si quis factâ divisione Confessionis sacramentalis in publicam & privatam, postmodùm adjungeret: *Illam verò confessionem imperfectam, quæ fit non Sacerdoti*, &c.

TERTIUM INDICIUM. Unde fit, quod cum Tridentinum dixisset, quod Attritio *sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat*, statim variato modo loquẽdi dicat: *Tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*? Quin dicit, *quod ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ* perducat? quid sibi vult ista varietas loquendi, nisi per Dei gratiam impetrandam diversum quid significari?

Quo fit, ut verisimilis suspicio sit, per Dei gratiam, non intelli-

gi gratiam justificationis sed veræ Contritionis, ad hanc enim proximè disponit Attritio secundum Catholicos, quos impugnat Lutherus, ut visum est §. præcedente. Et sic intelligit Alphonsus Vivaldus in candelabro aureo de Attritione num. 7. & Confessio Lovan. art. 4. anteà dixerat, quod *gehenna metus* (etiam dolorem intelligens) *praparat ad veram animi Contritionem.*

Possem pluribus rem illam illustrare, sed hæc sufficiant. Unicum observo, non esse necessariò dicendum, quod Attritio ad Dei gratiam semper & infallibiliter impetrandam disponat: nam etiam fides disponit ad Dei gratiam, non tamen semper & infallibiliter impetrandam. Sufficit ergò, quod ad Dei gratiam subindè impetrandam disponat, & hâc ratione asseratur bonitas actus Attritionis.

QUARTUM INDICIUM. Nihil dicitur de Attritione, quod non peræquè possit dici de Fide ad justificationem proximè non disponente: Fides enim est donum Dei, sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere Peccatorem nequit, & eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.

§. 5. *Respondetur oppositis objectionibus.*

TRibus prioribus objectionibus, quæ opponuntur num. 222. 223. & 224. responsum est §. 3. ubi ex iisdem principiis contrariam veritatem elicuimus. Restat itaque unica, aut altera objectio examinanda.

OBJECTIO I. Si Synodus non ageret de dispositione proxima perperàm faceret hanc oppositionem: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentia impetrandam disponit.*

RESPONDEO nullam hîc fieri oppositionem, cùm non sit inter eosdem terminos: Synodus enim priùs dixerat Attritionem per se non perducere ad justificationem: postmodùm tamen non dicit (ut vult Argumentans) quod possit perducere ad justificationem in Sacramento, sed hoc unicum, quod disponat ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam. Quæ sunt longè diversa, ut patet ex dictis.

INSTAT tamen. Attritio non magis disponit ad gratiam impetrandam in Sacramento, quàm extra illud, cùm etiam disponat remotè ad justificationem extrasacramentalem.

Respondeo non haberi in textu, quod disponat ad justificationem. Deindè ratio potuisset esse, cur potiùs diceretur disponere ad justi-

justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, quàm extra, quia justificatio solet impetrari & obtineri in Sacramento Pœnitentiæ.

OBJECTIO II. Tridentinum agit de Attritione, quæ juxta nos excludit positivè voluntatem peccandi per amorem Dei. Ergo agit de dispositione proxima.

RESPONDEO, quòd antiqui illi Scholastici, quorum sententiam explicamus, negabunt, quòd Attritio debeat positivè excludere voluntatem peccandi: existimabunt enim sufficere quod non includat voluntatem peccandi, quod est excludere negativè.

Ratio autem est, quòd, ex eorum sententia, Tridentinum tantùm voluerit asserere bonitatem actus Attritionis: atqui sufficienter asseritur bonitas actus Attritionis, quando dicitur non includere voluntatem peccandi, sicut patet in actu Fidei, qui non excludit positivè voluntatem peccandi, & tamen bonus est. Ergo.

Aliud porrò dicendum est in sententia eorum, qui docent Attritionem esse dispositionem proximam in Sacramento Pœnitentiæ, tenentur enim docere, quòd Attritio positivè excludat voluntatem peccandi. In promptu ratio est, quia hęc Attritio requirit efficax propositum non peccandi, quod intelligi nequit nisi positivè excludatur voluntas peccandi. Et ita argumentatur P. Reginaldus citatus in Quæst. Quodlibet. dicens, quòd *requiratur Attritio, quæ voluntatem peccandi excludat, per* PROPOSITUM *scilicet* NON PECCANDI *de cætero.* Quare dum in Quæstione Quodlibetica doctrinam Reginaldi attuli, ex illa hypothesi factum est, quâ dissimulanter concesseram Adversarijs, Tridentino sermonem esse de dispositione proxima ad justificationem; quando autem subindicavi aliam responsionem, sicut hypothesim prædictam, sic etiam sublatum intelligi oportuit, quod eidem hypothesi innitebatur, nimirùm, quod in Tridentino ageretur de positiva, & strictè dicta exclusione voluntatis peccandi. Pag. 35.

CAPUT QUARTUM.

In quo discutitur, utrùm Attritio servilis excludat positivè voluntatem peccandi?

ALiam responsionem, quam commemoravimus Capite præcedenti §. 1. lubet præsenti Capite fusiùs explicare. Nimirùm, concesso Adversarijs, quòd in Tridentino agatur de dispositione proxima ad justificationem, quodque consequenter agatur

tur de positiva & strictè dicta exclusione voluntatis peccandi, nihilominùs ostendere Adversarios authoritate Tridentini potiùs premi, quàm juvari, propterea, quòd positiva exclusio voluntatis peccandi benevolum aliquem Dei propter se requirat amorem, neque solius timoris servilis præsidio comparetur. Quod ut clarè ostendamus, oportebit nonnulla observare.

§. I. *Quædam observanda.*

OBSERVO I. Controversiam moveri de exclusione voluntatis peccandi mortaliter, agitur enim de metu gehennæ, quæ solo peccato mortali incurritur.

OBSERVO II. Quòd propria & essentialis ratio, seu differentia, per quam peccatum mortale differt à veniali, propriè in eo sita sit, quòd peccatum mortale juxta Augustinum tractatu 5. in Joan. sit *violatio Charitatis*, seu amicitiæ cum Deo; peccatum autem veniale non sit talis violatio amicitiæ divinæ.

OBSERVO III. Indè consequens esse, quòd in omni omninò peccato mortali, sit quidam, saltem interpretativus contemptus amicitiæ divinæ, qui non habetur in peccato veniali. Et hoc sensu de peccantibus venialiter dicit Apostolus 1. Cor. 3. quòd manente fundamento, scilicet amicitiâ cum Christo, superædificent ligna, fœnum, stipulam igne exurendam, prout solet interpretari S. Augustinus. Undè in Psalmum 103. *Si quis*, inquit, *ædificaverit super fundamentum ligna, fœnum, stipulam, id est amores sæculares fundamento Fidei suæ superædificaverit, tamen si in* FUNDAMENTO *sit Christus, ut* PRIMUM LOCUM *ipse habeat in corde & ei nihil omninò* ANTEPONATUR, *portantur tales, tolerantur & tales. Veniet caminus, incendet ligna, fœnum & stipulam.* Et in Psalmum 20. *Qui amant adhuc sæcularia & negotijs terrenis implicati sunt & dediti sunt vinculis quibusdam & affectibus carnis, domibus suis, Conjugibus, possessionibus & tamen Christiani sunt, ita, ut non* COR *eorum* RECEDAT *à Christo, & nihil* PRAEPONANT CHRISTO, *quemodò in ædificando nihil* PRAEPONITUR FUNDAMENTO, *ædificant ipsi ligna, fœnum, stipulam* &c.

Et in Psalmum 80. *Posside fundamentum, have cœlo, calca terram. Si talis es, non ædificas nisi aurum, argentum & lapides pretiosos. Cùm autem dixeris, amo possessionem istam, timeo ne pereat, & imminet damnum, tu contristaris, non quidem* PRAEPONENS *eam Christo. Nam si sic amas possessionem istam, ut si dicatur tibi,* IPSAM VIS, AN CHRISTUM? *Et si tristis eam perdis,* PLUS *tamen* AMPLECTERIS CHRISTUM, *quem po-*

posuisti in fundamento, salvus eris tamquam per ignem. Audi aliud. Non poteris tenere istam possessionem, nisi dixeris falsum testimonium. Hoc tamen non facere, Christum in fundamento ponere est. Vide Enchir. c. 68.

Ex qua Augustini doctrina intelligitur quomodò peccato veniali, non contineatur contemptus amicitiæ divinæ, quia per peccatum veniale nihil præponitur Christo, ejusque amicitiæ, sicut fit per peccatum mortale, quo destruitur ipsum fundamentum, scilicet amicitia cum Christo.

OBSERVO IV. Posse subindè contingere, quod propter vehementiam & intensionem alicujus affectus, etiam mali, absit voluntas peccandi, prout colligitur ex Augustino lib. 21. de civit. cap. 16. ubi scribit: *Nonnunquam sanè apertissima vitia aliis* VINCUNTUR *occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa.* Verùm talis victoria, seu exclusio peccati, non est propriè dicta victoria aut positiva exclusio peccati: unde subjungit Augustinus: *Tunc itaque* VICTA *vitia deputanda sunt, cum* DEI AMORE VINCUNTUR.

Ratio autem cur talis exclusio non sit positiva, ex eo petenda est, quod illud tantùm dicatur positivè excludere voluntatem peccandi, in quo repugnat esse voluntatem peccandi, non repugnat autem affectum superbiæ simul esse cum voluntate committendi alia peccata, quamvis per accidens contingat affectum superbiæ esse tam vehementem, ut de facto non exurgant affectus aliorum vitiorum. Itaque ad exclusionem positivam voluntatis peccandi requiritur, ut cum tali affectu non possit in eadem anima conciliari & habitare voluntas peccandi mortaliter.

§. II. *Quænam sit vera ratio, quare affectus Charitatis positivè excludat voluntatem peccandi mortaliter?*

RESpondeo hanc esse claram & manifestam rationem, quod manifestè repugnet, ut quis contemnat & vilipendat amicitiam divinam per peccatum mortale & simul per Charitatis affectum Deum tamquam fundamentum omnibus præponat: nequit enim simul fieri, ut quod omnibus præferimus simul vilipendamus. Quia ergo quolibet peccato mortali amicitia divina contemnitur, quolibet autem affectu Charitatis amicitia divina omnibus præfertur, nedum contemnitur, tam clarum est affectum Charitatis excludere positivè voluntatem peccandi mortaliter, quàm clarum est idem non posse omnibus præferri, & non præferri, contemni & præ omnibus æstimari.

Ex quo patet, quod propria & essentialis ratio affectus Charitatis directissimè opponatur propriæ & essentiali rationi voluntatis peccandi mortaliter. Propria enim & essentialis ratio affectus Charitatis de quo agimus, sita est in eo, quod Deum summè æstimet, & (ut minimum virtute) omnibus præferat: Propria autem & essentialis ratio voluntatis peccandi mortaliter, sita est in eo, quod Deum vilipendat, & creaturam Deo præferat: Directissimè autem opponuntur: *Deum summè æstimare & vilipendere: Deum omnibus præferre, & creaturam Deo præferre.*

Sicut ergo Charitas tamquam Regina virtutum imperat omnibus virtutibus, ità etiam per affectum suum resistit omnibus peccatis mortalibus. Et hoc sensu intelligi potest, quod scribit S. Joannes Epist. 1. cap. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*, quia permanente affectu Charitatis, fieri non potest, ut simul sit affectus peccati mortalis.

Quapropter non satis percepit mentem nostram P. Le Dent, dùm num. 57. putat nos ita ratiocinari: *Si amans Deum peccaret mortaliter, amaret & non amaret, vellet Deo bonum & non vellet, quos actus cùm impossibile sit simul componi, necesse est excludi peccatum, dùm est amor Dei.* Tale enim argumentandi genus inane est & à nobis nunquam propositum. Existimo enim, quòd maximè possibile, sit ut ratione diversorum affectuum, quis amet & non amet Deum, velit Deo bonum & non velit, sicut vult & non vult piger: sed nego fieri posse, ut quis Deum omnibus præponat & simul creaturam Deo præferat: amicitiam Dei summè æstimet, & simul contemptui habeat.

Ex quo etiam apparet præfatum Authorem, num. 76. malè supponere, quòd amor Dei de quo agimus opponatur soli odio Dei, ut est speciale peccatum; siquidem opponitur omni peccato mortali, quatenùs quodlibet peccatum mortale complectitur in se virtualem contemptum & odium amicitiæ divinæ.

§. III. *Vtrùm timor gehennæ positivè excludat voluntatem peccandi mortaliter?*

EX hactenùs dictis negandum est. PRIMO. Timor gehennæ nullam habet repugnantiam vel contrarietatem cum ratione propria & essentiali cujuscumque peccati mortalis: propria enim ratio cujuscumque peccati mortalis petitur ex odio & contemptu amicitiæ divinæ, timor autem gehennæ nullo modo considerat amicitiam divinam tali odio contrariam.

SE-

SECUNDO. Ut constabit ex sequentibus, nulla adferri potest repugnantia, cur peccatum mortale, ut mortale est, non possit simul cum quocumque timore gehennæ consistere.

TERTIO. Quid repugnat simul cum amore suî & timore gehennæ in eadem anima conciliari odium Legislatoris? proclive enim est de proprio damno satagenti illum odisse à quo damnum pateris, juxta illud vulgare: *quem metuit, quisq; perire cupit.*

Respondet Adversarius, illius Hemistichij sensum investigandum Poëtis. Verùm sciat illud Hemistichium esse Hugonis à Sancto Victore in Joan. & D. Hieronimi ad Theoph. ubi sic habet: *Antiqua sententia est, quem metuit, quis odit, quem odit perijsse cupit. Unde & in nostris literis cum initia parvulorum in timore consistant, perfecta dilectio foras mittit timorem.*

QUARTO. Ut scribit Angelicus Doctor ex Augustino: *Timor servilis non est numerandus inter dona Spiritus S. licet sit à Spiritu Sancto, quia, ut Augustinus dicit in libro de natura & gratia:* POTEST HABERE ANNEXAM VOLUNTATEM PECCANDI.

Respondet P. Le Dent distinctione duplicis timoris servilis, sed effugium est non responsio, quia nullum in Angelico Doctore duplicis illius timoris extat vestigium.

§. IV. *Utrùm actus Spei mortua positivè excludat voluntatem peccandi mortaliter?*

DIxi *Spei mortua*, seu destitutæ omni benevolo in Deum tamquam summum bonum affectu, quia de Spe viva, non agimus.

Respondendum autem ex jactis fundamentis, quòd actus Spei mortuæ non excludat positivè voluntatem peccandi mortaliter.

PRIMO. Actus Spei mortuæ nullam habet repugnantiam cum propria & essentiali ratione peccati mortalis.

SECUNDO. Constabit ex sequentibus nullam adferri rationem, cur actus Spei nôn possit in eadem anima conciliari cum affectu peccati mortalis.

TERTIO. Actus Spei est actus virtutis particularis, neque pervagatur omnia vitia, & à consortio suo excludit, sicut actus Charitatis, quæ tamquam regina virtutum, non patitur cum actu suo habitare Dei odium in quolibet peccato mortali repertum.

§. V. *Respondetur obiectionibus, quibus probatur actum Spei positivè excludere voluntatem peccandi mortaliter.*

Num. 55. Obiectio I. Dari poteſt deſiderium alicujus boni creati ſic efficax, ut inferat poſitionem omnium eorum, quæ ad illius conſecutionem neceſſaria ſunt, adeòque & omiſſionem illorum, quæ illius conſecutionem, vel impedirent, vel periculo exponerent. Ergo dari poteſt deſiderium vitæ æternæ, quod excludat omnem voluntatem peccandi.

Conſequentia clara eſt, quia medium ad conſecutionem beatitudinis tutum & ſecurum, eſt abſtinere ab omni mortali, tam interno, quàm externo.

Respondeo I. Admittendo quidquid infertur. Quis enim neget dari poſſe deſiderium vitæ, quod excludat omne peccatum mortale, & ſperantem non confundat? ſed deſiderium illud debet eſſe animatum & quodammodò vivificatum per aliquam Dei dilectionem. Sicut enim fides, ut juſtificet, debet *per Dilectionem operari*; ità etiam & deſiderium vitæ æternæ debet per dilectionem operari, ut juſtificet, & poſitivè excludat mortale peccatum. Ad Gal. 5.

Respondeo II. Quod in argumento propoſito contineatur petitio principij: illud enim quæritur, utrum Dilectio Dei non ſit medium neceſſarium ad conſecutionem Beatitudinis. Nam ſi Deus (ſicut potuit) dilectionem ſuî requiſiviſſet tamqam medium neceſſarium ad conſecutionem Beatitudinis, ſequeretur, quod deſiderium vitæ æternæ deberet neceſſariò movere voluntatem ad Dilectionem Dei habendam. Unde argumentum relinquit probandum, vel improbandum, utrum dilectio Dei ſit medium neceſſarium ad conſecutionem beatitudinis: & quidem in argumento ſupponitur quod non, ac proinde petitur principium, & pro conceſſo habetur, quod probari debuit.

Declaratur, quia ſimili argumento probaretur, quod ſolum deſiderium Beatitudinis abſque Sacramento ſufficeret ad conſecutionem Beatitudinis, quia nimirum movet ad executionem mediorum ad conſecutionem Beatitudinis neceſſariorum. Quod ſi dicas Sacramentum eſſe medium ad conſecutionem Beatitudinis neceſſarium: quæro, unde tibi conſtet illud ipſum de dilectione Dei dici non poſſe?

Obiectio II. Amor Dei poteſt excludere omnem voluntatem peccandi: ergo etiam Amor, ſeu deſiderium Beatitudinis.

Respon-

RESPONDEO ex dictis §. 2. In Amore quo Deus tamquam summum bonum diligitur reperiri specialem repugnantiam cum peccato mortali, quæ non reperitur in Amore & desiderio Beatitudinis, quamdiu non animatur & vivificatur per Dei Dilectionem, & præ omnibus æstimationem.

OBIECTIO III. Actus Spei est desiderium firmum obtinendi gloriam, nec exponendi se periculo eâ excidendi: cùmque medium ad hoc sit non peccare peccato quocumque, mirum non est, quòd omnia peccata excludat, quorum unum si vellet committere, jam idem vellet, ac nollet, æquè, ac si amans Deum peccaret; undè non magis alia vitia se habent disparatè ad Spem, quàm ad amorem Dei. Num.76.

RESPONDEO I. Quòd in argumento supponatur Dilectionem Dei non esse medium necessarium, ut quis non exponat se periculo excidendi gloriâ; quod meritò negamus.

RESPONDEO II. Quòd actus Spei mortuæ sit quidem firmum desiderium, quatenùs innititur Dei promissioni, quæ non potest deficere; nego tamen firmum esse eo sensu, quòd se solo possit excludere positivè, quidquid impedit beatitudinem, ad hoc enim requiritur vita, seu spiritus Dilectionis Dei, Apostolo clamante 1. ad Cor. 13. se sine Charitate nihil esse.

Ex quo etiam sequitur, quod prædictus Scriptor malè supponat voluntatem, quam quarto modo vocat efficacem, posse obtineri sine aliqua Dei Dilectione, est enim hac in parte eadem ratio Fidei & Spei, languet enim utraque, nisi per Dilectionem operetur. Num.50. Ad Gal.5.

Item, quod etiam malè supponat, actum Spei mortuæ esse omninò absolutum (eo sensu, quem intendit) sine Dei Dilectione: quamvis enim possit dici absolutus, id est absque ulla conditione, non tamen est absolutus, quasi efficaciter adhiberet media omnia, quibus excluditur periculum damni æterni, cùm inter media ad hoc excludendum sit ipsa Dei propter se Dilectio.

§. VI. *Respondetur obiectionibus, quibus probatur timorem gehennæ positivè excludere voluntatem peccandi mortaliter.*

OBIECTIO I. Dùm Tridentinum Sess. 14. cap. 4. dicit: *Illam verò Attritionem, quoniam ex gehennæ metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat* &c. apertè supponit dari posse, quæ excludat voluntatem peccandi; aliàs enim Attritionem chymæricam nobis obtruderet. Num.58.

RESPONDEO nos negare dari Attritionem, quæ voluntatem pec-

peccandi excludat, sed negamus, quòd talis Attritio *pro motivo adæquato & ultimato babeat metum gehennæ.* Neque hoc evinces ex Tridentino, quin potiùs contrarium colliges ex conditione apposita: *Si voluntatem peccandi excludat:* innuitur enim aliquid à gehennæ metu diversum requiri, quid autem illud sit ex alijs locis Tridentini relinquitur colligendum.

OBIECTIO II. Trident. Seß. 6. Can. 8. dicit, quòd *per gehennæ metum à peccando abstinemus.* Hìc autem agit de metu exclusâ Charitate, cùm sit idem ille, quem eâdem Seß. cap. 6. ponit tamquam sternentem viam ad Spem & amorem.

RESPONDEO I. quòd metus, seu timor de quo cap. 6. tantùm remotè disponat ad dolendum de peccatis, & abstinendum à peccando, ut patet legenti textum: ergo idem dicendum erit de gehennæ metu Can. 8. quòd scilicet per gehennæ metum tamquam per causam remotam de peccatis doleamus & à peccando abstineamus. Quò referri potest, quòd Tridentinum non dicat nos abstinere à peccando PROPTER, sed PER *gehennæ metum.*

RESPONDEO II. valdè verisimile esse, quòd Canone 8. agatur de timore initiali, quia timor merè servilis non habet pro objecto Dei misericordiam de qua Canone illo 8. sed justitiam, neque per metum gehennæ proximè confugimus ad Deum, sed potiùs fugimus à Deo, ut ostensum est suprà. Pag. 55.

OBIECTIO III. Possum aliquod malum sic aversari, ut stante illo actu impossibile sit, me ponere id quo malum illud incurram. Ergo possum sic aversari gehennam, ut impossibile sit me simul admittere mortale per quod scio gehennam incurri.

RESPONDEO falsum esse Antecedens, si nullum accedat motivum oppositum causæ propter quam malum illud incurritur. Nam benè consistunt, quod vehementissimè averser effectum, & simul causam ob alias rationes diligam, subindè etiam vehementiùs.

At, inquit, quis dubitet, quin ex timore patibuli possim furtum sic detestari, ut non possim simul velle furari, per quod fierem patibuli reus?

Quis dubitet? Imò verò quis hoc affirmet? Certè neminem legi, neminē audivi docentem, quòd patibularis illa pœnitentia non pateretur secum voluntatem furandi. Et meritò. Quid enim repugnat, ut vehementissimè quis timeat patibulum, & tamen præ infirmitate retineat inordinatum desiderium rei alienæ?

Neque refert, quòd fur dicatur scire per affectum internum incurri pœnam patibuli: quantumvis enim sciat pœnam patibuli incurri, ni-

nihilominùs permanẽte illâ scientiâ & vehementissimo timore, potest ex vehementiore affectu desiderare rem alienam. Non dico, quòd de facto desideret, sed quòd possit desiderare: in quo est differentia inter timorem & Charitatis affectum de quo agitur, quòd stante Charitatis affectu, non possit in eadem anima simul esse affectus vehementior, qui sit peccatum mortale: stante autem quocumque timore, possit in eadem anima esse affectus vehementior, qui sit peccatum mortale.

OBIECTIO IV. Timor gehennæ positivè excludit peccatum externum, & etiam affectum internum, quo efficaciter imperatur peccatum externum. Ergo etiam potest excludere omne aliud peccatum internum, cum de omnibus sit eadem ratio.

RESPONDEO I. Simile esse argumentum. Timor infamiæ, imò vana gloria, positivè excludit peccatum externum &c. Ergo potest excludere omne aliud peccatum internum.

RESBONDEO II. Consequentiam nullam esse, ex eo enim, quod unum peccatum excludatur, perperàm quis concluserit quodlibet aliud peccatum excludi.

RESPONDEO III. Quod, si propriè velimus loqui timor gehennæ non omninò positivè excludat peccatum externum, quia exclusio illa non petitur precisè ex contrarietate cum peccato externo, sed plerumque ex affectu vehementiore, quàm sit ille, quo quis propendet in peccatum externum. Quo non obstante posset dari tam vehemens affectus erga peccatum externum, ut, permanente eodem timore, simul poneretur peccatum externum. Quod maximè apparet in peccatis carnalibus, quæ, permanente timore gehennæ, per infirmitatem committuntur. Nemo autem peccat mortaliter permanente Dei præ omnibus dilectione.

OBIECTIO V. Voluntas ex motivo solius timoris potest imperare, ut quis abstineat ab omni peccato. Ergo &c.

RESPONDEO quod non plenè imperabit, ut dixi in quæstione quod lib. Quibus addo, quod plenum imperium requirat plenè voluntarium, quod autem fit ex solo timore, non est plenè voluntarium juxta plerosque. Quia tamen Adversarius videtur ipsi experientiæ resistere, dico ulteriùs, quod licet voluntas posset sic imperare, ut reverà nullus esset affectus peccandi mortaliter: tamen hoc non proveniret ex positiva repugnantia inter tale imperium & affectum peccati mortalis: sed tantùm per accidens & propter vehementiam actus intensioris, sicuti contingere potest in vehementi distractione. Unde stante eodem imperio, posset voluntas pro sua libertate eli- Pag 42.

elicere vehementius imperium, quo præciperetur ipsum peccatum.

OBJECTIO VI. Sancti Patres generaliter asserunt timorem cohibere homines a peccatis. Aug. in psal. 127. epist. 120. &c.

RESPONDEO non esse hîc mihi propositum singula Sanctorum PP. testimonia expendere, quia in solo Tridentino versor: cæterum dico, quod etiam Fides cohibeat à peccatis, nec tamen propterea Fides
Epist. 48. per se excludat positivè voluntatem peccandi. Imò Augustinus Vincentio ex hæresi Rogatiana scribens, multis ostendit, quod etiam leges imperiales cohibeant à peccatis, quod de proxima, immediata & positiva exclusione voluntatis peccandi, perperàm intellexeris. Sæpè etiam ibidem dicit, quod Donatistæ timore legum imperialium conversi fuerint, & specialiter de civitate sua Hipponensi ità scribit:
Pag. 66. *Civitas mea, cum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium conversa est. Ità alia multa, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa*
Prov. 19. *rectè intelligi posse quod scriptum est: da sapienti* OCCASIONEM *& sapientior erit.*

Et Epist 50. scribit, quod per jussa imperialia homines *timore* CORRIGUNTUR. & Epist. 54. *Hæc cum timentur* (potestas Regis, jus gladij &c.) *&* COERCENTUR *mali, & quietius inter malos vivunt boni.*

Quare ex mente Augustini timore legum Imperialium mali convertuntur, corriguntur, & coercentur, nemo tamen propterea dixerit, quod timor legum imperialium sit adæquatum & ultimatum motivum, quo convertuntur, corriguntur & coercentur. Undè Augustinus postremo loco statim ità subjungit: *Non quia boni pronuntiandi sunt, qui talia metuendo non peccant (non enim bonus est quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ) verumtamen non inutiliter etiam metu legum humana coercetur audacia &c.* Quibus verbis, negando quempiam bonum fieri timore pœnæ, apertè significat se non egisse de dispositione proxima ad vitandum omne peccatum.

CAPUT QUINTUM.

In quo respondetur alijs objectionibus adversùs conclusionem principalem.

ARgumenta, quæ ulteriùs in favorem sententiæ suæ proponit Adversarius, breviter proponemus & expendemus.

§. I.

§. I. *Expenditur prima obiectio Patris Le Dent.*

OBIECTIO I. Tridentinum Seſſ. 14. intendit tradere exactiorem & pleniorem doctrinam ac definitionem, ſic ut Catholica veritas perſpicua fiat & illuſtris: atqui dùm agit de requiſita ad juſtificationem diſpoſitione Pœnitentis, non meminit alterius Contritionis, quàm imperfectæ, quæ ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, nullâ factâ mentione Dei propter ſe dilecti. Ergo &c. Num. 138.

RESPONDEO I. quòd Tridentinum tradat exactiorem & pleniorem doctrinam ac definitionem, quam tradiderat Seſſione ſextâ, ad quam ſe refert, quia Seſſione 14. tradit materiam & formam Sacramenti Pœnitentiæ, & inſuper quænam peccata ſint in Confeſſione explicanda, & alia multa, quæ non tradiderat Seſſione 6. Cæterùm frivolum eſt ſibi perſuadere, Tridentinum Seſſione 14. tradidiſſe tam plenam & exactam doctrinam de Pœnitentia, ut nihil omninò prætermiſerit. Clarum enim eſt, quòd non determinaverit utrùm circumſtantiæ notabiliter aggravantes in Confeſſione ſint exprimendæ, ſicut & multa alia de quibus inter Theologos nondùm benè convenit.

RESPONDEO II. quòd Tridentinum Seſſ. 14. abundè meminerit Dilectionis Dei propter ſe, quando meminit Pœnitentiæ, converſionis ad Deum, Contritionis &c. quæ ex dictis aliquam Dei propter ſe Dilectionem requirunt.

Adde, quòd Seſſione 14. non fiat etiam expreſſa mentio Fidei. Quod ſi dixerint Seſſione 6. fuiſſe factam mentionem Fidei, idem dicam de Dilectione, quâ Deum diligi oportet tamquam fontem omnis juſtitiæ. Imò non deſunt, qui exiſtiment Seſſione 14. nequidem fieri mentionem Charitatis actualis requiſitæ cum Contritione perfecta: quod enim dicatur Contritionem aliquando Charitate perfectam eſſe, de Charitate habituali intelligunt P. Suarez, Tapperus, Præpoſitus, Coninck, aliįque plurimi. Undè immeritò P. Le Dent numero 144 legit in Tridentino: *Contritionem amore perfectam*, non enim habetur *amore*, ſed *Charitate perfectam*.

§. II. *Reſpondetur Obiectioni ex conſenſu Theologorum petita.*

OBIECTIO II. Petitur ex tam conſtanti, & unanimi plurimorum omnis generis & conditionis conſenſu.

RES-

RESPONDEO negando constantem illum & unanimem plurimorum consensum, contraria enim sententia fuit *opinio Antiquorum*, ut testatur Ludovicus Lopez Anno 1583. Et Joannes Morinus lib. 8. de Pœnit. c. 4 Hugo Mathoud in observationibus ad Robertum Pullum ex eodem Lopez testantur, quod Melchior Canus & Henricus quidam Salmanticensis sint primi Authores doctrinæ, quam impugnamus. Quorum testimonium verum esse, partim ex eo constat, quod Ludovicus Lopez fuerit discipulus Melchioris Cani, partim ex eo, quod Adversarius nullam produxerit Authoritatem, quâ prædictum testimonium infirmaret. Profert quidem verba Joannis à Daventria, Tilmanni Segebergensis, Pauli Cortesij, Gabrielis Biel, sed in quibus nihil video, quod oppositæ doctrinæ faveat, neque aliâ ratione produci existimo, quàm ne videatur nihil responderi potuisse.

Si tam constans & unanimis est consensus Theologorum pro doctrina Adversarij, quin profert, vel unum saltem, qui antè Melchiorem Canum expressis terminis doceat, quòd *Attritio ex solo metu gehennæ concepta & cognita proximè sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ?*

E diverso affirmo ego, omnes Commentatores Magistri sententiarum ad dist. 20. libri 4. generaliter affirmare, quod Pœnitentia dilata usque in finem vitæ, non sit debitè circumstantionata, quia talis dolor non est nisi ex timore pœnæ. Audiatur Gabriel: *Pœnitentia usque ad extremum dilata non potest esse debitè circumstantionata, maximè circumstantia finis, quæ tamen necessaria est ut pœnitentia sit sufficiens & perfecta. Hoc est, ut fiat principaliter propter Deum super omnia dilectum. Hinc Aug. Charitatem quærit Deus, non necessitatem. Sed difficilè est, quod is qui usque ad externum non elicuit displicentiam peccati propter Deum, tunc eliciat, cum deficit habitus Charitatis, & dolor præsens, & imaginatio futuræ pœnæ magis incitat ad timorem, quàm ad Amorem.* Quibus verbis manifestè supponit pœnitentiam seram rarò esse veram, quia, quæ ex timore est pœnitentia, non est verè pœnitentia. Non possum autem non mirari, quod ad Gabrielem provocetur, cùm is requisierit Contritionem perfectam, & dist. 14. q. 2. dub. 3. habeat hæc verba *detestatio ab hoc* (gehennæ, ut præmiserat) *timore servili orta, dicitur etiam dispositio de congruo ad Pœnitentiam, non* IMMEDIATA, *nec* SUFFICIENS: *sed multum* REMOTA. Ecce verba doctrinæ, quam impugnamus directè contradictoria.

Quod ad Roffensem attinet, præveneram objectionem, dicendo quod requisiverit dolorem *saltem voto affectatum*, ac proinde, quod egerit de illo, qui putat se habere dolorem ex Charitate provenientem.

Op-

Opponit tamen P. Le Dent, quod Roffensis non dicat *exigi dolorem ex Charitate, saltem voto affectatum, sed simpliciter asserit exigi dolorem saltem voto affectatum. Nec mutatur autem, nec restringitur significatio vocis dolor, quando ei additur in voto: nam pecunia in voto non magis restringitur ad auream, quam pecunia nullo addito.*

Verùm è CONTRA. Quæro pecunia in voto, sitne, vera pecunia? Quæro, si pecunia Testamento legata sit & hæredes solam in voto pecuniam præstare velint, an satisfacient extremæ defuncti voluntati? Rogo, quis pauper esse invitus poterit, si pecunia in voto vera sit pecunia? Quare non est dubium, quin particula *in voto* quamdam improprietatem inducat.

Similiter ergo *dolor voto affectatus*, non est verus dolor, sed votum doloris, sicut pecunia voto affectata non est pecunia, sed votum pecuniæ.

Addidi autem agi de *dolore ex charitate*, quia Scholastici de quibus anteà egeram, dolorem de peccatis putabant esse actum Charitatis, cujus defectum suppleri sentiebant, si quis accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ bonâ Fide sibi persuaderet, se prædictum dolorem & actum Charitatis habere.

Ex quibus omnibus patet Alexandrum VII. cùm diceret in Decreto, oppositam sententiam communiorem videri, meritò addidisse particulam *hodie*, antiquis enim (si Morino, alijsque credimus) ignota fuit hujusmodi sententia, nedùm communis.

Erat hìc locus examinandi, quæ fuerit mens Academiæ Lovaniensis de præsenti materia, quidque Appendici respondeat Adversarius: verùm tot glossematibus, & consequentiarum circulis respondet clarissimis testimonijs, ut malim Lectorem ad ipsos fontes remittere, quàm eum glossematibus, & consequentiarum circulis refellendis diu detinere.

Tantùm moneo, non benè responsum esse articulo 4. Confessionis Catholicæ Lovaniensis, ut patet ex dictis cap. 2. ubi ostendimus per timorem intelligi etiam dolorem de peccatis, & propositum non peccandi.

Moneo insuper, ex eo quod aliqui Authores in aliquo à nobis dissentiant, malè inferri quòd nobiscum non sentiant in principali quæstione de sufficientia Attritionis servilis; sicut ex eo quod Catholici dissentiant circa modum, quo Sacramenta producunt gratiam, malè quis concluserit quòd non doceant unanimiter Sacramenta causare gratiam ex opere operato. Proindè frustrà tentant nobis eripere

Adrianum VI. aliosque qui in principaliori quæstione nobiscum sentiunt.

Pag 111. Moneo denique, quòd verba illa Tapperi: *Attritio verò ex timore pœnarum supernaturalium idonea dispositio est ad Sacramentum Baptismi* &c. sint ipsissima, eademque verba, quæ habet Melchior Canus, ubi

Releċt 5. de Pœnit. Pag 134 adfert Authoritatem D. Thomæ, quam refert Tapperus. Ut propterea verba illa non adferantur à Tappero ex propria, sed ex Melchioris Cani, quam posteà reijcit, sententia.

Quod spectat ad alios Theologos Lovanienses, quos produxeram, legi possunt in ipso originali textu, ubi citra consequentiarum ambages videri poterit, quid sentiant. Porrò Henricus Gravius, quem P. Le Dent reperire non potuit, habetur impressus simul cum Tomo 7. operum S. Augustini.

§ III. *Respondetur Obiectioni ex verbis Lutheri petita.*

Num. 171. OBIECTIO III. Si verba Lutheri & Tridentini cum invicem componantur, clarum fiet, quòd Synodus illum Contritionis modum tueatur ac adstruat, quem reijciebat Lutherus. Atqui Lutherus loquebatur de Attritione, quæ non erat ex Charitate, sed ex timore pœnæ. Ergo de eadem loquitur Tridentinum.

RESPONDEO I. quòd indè sequeretur à Synodo approbari Attritionem naturalem, quia illam reijcit Lutherus.

INSTAT tamen non esse eamdem rationem, quia Synodus declarat quòd Attritio non sit naturalis, quòdque calumniati fuerint hæretici, adscribendo doctrinam illam Catholicis: quod non obtinet in præsenti.

Sed CONTRA. Quid hoc ad rem attinet? Unde enim constat quòd sicut Tridentina Synodus declaravit hæreticos calumniatos fuisse quandò adscripserunt Catholicis Attritionem naturalem, ità etiam in præsenti materia non fuerint calumniati? Imò unde constat, quod illam calumniam non confutaverit Tridentinum, quando requisivit Dilectionem Dei tamquam fontis justitiæ, veramque pœnitentiam, Conversionem, & Contritionem de peccatis?

Sanè, valdè infirma mihi apparet ratio probandi doctrinam aliquam adstrui à Concilijs, quia hæretici, in quibus est spiritus mendacij, illam adscribunt Catholicis. Vide quæ dicta sunt Additamento 1.

Deinde doctrina, quam reijcit Lutherus, non fuerat Attritionem proximè disponere ad justificationem, sed ad Contritionem, ut ostendi cap. 3.

§ IV. *Respondetur obiectioni ab authoritate S. Augustini.*

OBIECTIO IV. S. Augustinus de Catech. rudibus. cap. 17. ità scribit: *Qui autem propter Beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum Diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est &c.* Ubi significatur, quod talis fructuosè baptizetur.

RESPONDEO juxta Tridentinum Seff. 6. Canone 28. quod ille, qui Fidem habet sine Charitate, sit Christianus: unde ad summum objectio probat, quod ille veram Fidem habeat, qui timore pœnarum infernalium accedit Baptismum, quamvis interim aliud requiratur in adulto ad percipiendum gratiam sanctificantem in Sacramento. Vide alia circa locum Augustini apud Estium in 4. dist. 16. § 9.

Addo, quod Augustini doctrina ibidem cap. 20. sit: *Legem non implet nisi Charitas:* & cap. 22. *tunc & lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium, sed Charitate illius, qui præcepit, fiunt, quæcumque præcepit.*

§. V. *Obiectiones ulteriores.*

OBIECTIO V. Per Attritionem intelligitur dolor peccatorum conceptus ex metu gehennæ sine ullo Dei propter se dilecti amore. Ergò

RESPONDEO. Quod vox *Attritio* habeat diversas significationes, prout ostendi in quæst. quodl. pag. 56. & in disq. Theol. de peccatis dubijs cap. 8. §. 4. & fatetur Estius, Sylvius, Coninck, Lessius &c. Unde immeritò prætendit Adversarius unicam significationem vocis *Attritio* Lectori persuadere. Non ignoro subinde vocem *Attritio*, sumi pro dolore *ex solo metu pœnæ evadendæ* concepto, ut loquitur Sonnius: sed audi textum integrum & quid proximè subjungat: *Est Attritio non efficiens veram pœnitentiam, attamen ad illam præparans.* Est ergo Attritio, sed non sacramentalis. Sic etiam Gabriel usurpat vocem *Attritio*, sed negat talem Attritionem sufficere in Sacramento. Quod autem Attritio Sacramentalis non designet solum dolorem ex timore pœnæ, clarissimum est ex illa sententia Cajetani, D. Thomæ, Scoti, Constantij Sarnani, Binsfeldij &c. quam proposui pag. 58. quod nimirum Contritio & Attritio differant so-

lùm penes intensum & remissum: quam sententiam probabilissimam non explico, ne Adversario dem ansam relictoprincipali de accessorio disputandi.

Obiectio VI. Timor sine Dei amore infert impletionem omnium mandatorum Dei: ergo sufficit cum Sacramento.

Respondeo Antecedens, quod à nonnullis asseritur, mihi mirum videri: sed non est animus hoc loco doctrinam illam confutandi. Tantùm quæro, cur timor pœnæ temporalis, non inferat etiam impletionem omnium mandatorum Dei?

Respondebitur fortè, quòd observatio mandatorum Dei, & abstinere à consensu interno, non sit medium necessarium, vel utile ad evitandam pœnam temporalem, ac proindè, quod timor pœnæ temporalis tantùm excludat opus externum, non internum: aliud porrò dicendum esse de timore gehennæ, quia gehenna incurritur etiam propter internum consensum.

Sed contra. Falsum est, quòd observatio mandatorum Dei, vel abstinere à cõsensu interno non sit medium necessarium, vel utile ad evitandam pœnam temporalem. Si enim quis observaret mandata Dei & abstineret ab omni consensu interno furti, nunquam exteriùs furaretur, nunquam ob furtum suspenderetur. Neque potest excogitari medium & remedium utilius ut vites externum furtum, quàm si legem divinam observes & nullum habeas internum furandi consensum. Quare minùs rectè assignatum est discrimen inter timorem pœnæ temporalis & æternæ.

Atque hîc calamum sisto & verbis Augustini hoc dilectionis Xenium corono: *Hæc dixi, Fratres, & longiusculè tamen, quia vehementiùs commendanda fuit Charitati vestræ ipsa Charitas, id est commendanda sibi erat. Si enim Charitas nulla est in vobis, nihil diximus.* Exp. 8. in 1. Joan.

ERRATA sic corrige

Paginâ 22. lineâ 24. fit, lege fit.
Pag. 25. lineâ 29. mandati, lege mandata.
Pag. 51. lineâ ultimâ, nos negare, lege nos non negare.